All' Illmo e Dottissimo Sig
il Sig Cav. F. M. Avellino.
Omaggio dell' A.

7

TABVLA ALIMENTARIA BAEBIANORVM

ILLVSTRAVIT DEQVE PVBLICIS ROMANORVM ALIMENTIS

DISSERTATIONEM PRAEMISIT

GVILIELMVS HENZEN.





ROMAE
(EX ANNALIVM INSTITVTI ARCHAEOLOGICI VOLVMINE XVI).

1845.

Digitized by Google

TYP. REV. CAM. AP. APVD SALVIVCCIOS.

Digitized by Google

FRIDERICO THEOPHILO WELCKER,

VIRO DOCTISSIMO,

PRAECEPTORI HVMANISSIMO,

HASCE

STVDIORVM EPIGRAPHICORVM PRIMITIAS

AVCTOR

D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tabula aenea, quam nunc tandem publici iuris facere nobis contigit, ante hos tredecim annos Campolattari, quae est parvula regni Neapolitani prope Beneventum civitas, effossa est. Primam eius notitiam dedit Institutum nostrum archaeologicum in actis menstruis, quibus Bullettino nomen est (1832, p. 210), ipsius autem inscriptionis partem primus edidit Guarinius, cum in commentario suo XVI, qui anno insequenti 1833 prodiit, praeter quattuor versus supra ipsam tabulam incisos mutilam primam columnam et secundae fragmenta aliquot, ab ipso tabulae possessore equite de Agostino exscripta, cum ipso autem a v. cl. Friderico Cassitto communicata, promulgaret. Quae fragmenta quamvis lacera et male transscripta, omnium tamen virorum doctorum, qui his studiis vacabant, summam exspectationem non potuerunt non excitare, cum tabulae Veleiatis quasi alterum exemplum lucem vidisse facile quisque intellexisset. Prae ceteris, qui eo tempore apud Institutum archaeologicum studiis epigraphicis praeerat, Olaus Kellermann, cuius mortem immaturam adhuc lugent eius scientiae sectatores, omnem dedit operam, ut perfectum aliquod et absolutum inscriptionis apographum sibi procuraret; sed frustra: quapropter, ne diutius explicatione carerent, quae Guarinius ediderat, doctissimam, quam duobus iam ante annis Bur-

Digitized by Google

ghesius de tabula illa ad Institutum miserat, epistolam, anno 1835 in eiusdem Instituti actis menstruis (p. 146 ss.) divulgandam curavit. Inde ab eo tempore praeter novum quoddam fragmentum a Guarinio editum (commentar. XIX, Neapoli, 1840, p. 16.) nihil amplius de monumento cognitum; immo, altum de eo per Italiam silentium, nisi quod Institutum archaeologicum novum nonnunquam periculum faciebat, si forte per cl. Cassittum, socium eius ab epistolis, virum bonarum litterarum vere amantem, desideratum illud apographum impetrare posset. Tandem cum aestate anni 1844 Henricus noster Brunnius Neapoli commoraretur, optimam occasionem se nactos esse rati qui Instituti res moderantur, Campolattarum eum miserunt, epistolis munitum vv. excellentissimorum equitum S. Angeli, qui regi ambarum Siciliarum a rebus internis minister est, et Kestneri, regis Annoveriae apud S. Sedem regiamque aulam Neapolitanam ministri, qui praesidis vices in Instituto archaeologico gerit. Nec defuit ei ipsius Cassitti opera, ita ut absente possessore tabulae a clarissima femina domina de Agostino amicissime quidem exciperetur, omni autem quo fieri poterat modo adiuvaretur. Tabula enim non describenda solum, sed etiam polienda erat; ita vero rubigine induta, ut primo adspectu dubitaret Brunnius, num columnae secunda ac tertia non modo legi possent, sed num re vera litterarum notae iis inessent. Summa tamen qua est et diligentia et veterum inscriptionum enucleandarum peritia solo trium dierum spatio eo pervenit, ut apographum nobis reportaret accuratissimum, in quo pauca tantum incerta relicta sunt.

Huius rei nuntius cum Neapoli divulgatus esset, parum convenire gloriae patriae credens, si prius Romae quam Neapoli tam insigne monumentum ederetur, pater reverendissimus R. Garruccius, primo anni 1845 mense Campolattarum se contulit, ubi per duodecim dies apographum confecit, quod incredibili celeritate cum com-

mentario tabulisque nonnullis incisis deque Ligurum Baebianorum antiquitatibus dissertatione Martii iam mensis initio typis expressum publici iuris fecit. De quo libro hoc quidem loco verba facere supersedeo; summam enim futilitatem eius in Instituti archaeologici concilio, quod septimo quoque die publice habetur, deinde in actis nostris menstruis (1845, p. 81 ss.) satis demonstratam esse confido. Eius tantum rei gratias viro illi ago, quod locos nonnullos, quibus errores manifesti inerant, maxima quidem ex parte ad emendandum facillimi, de quibus denuo inspiciendis litteras per Brunnium ad equitem de Agostino dandas curaveram, ipsis hisce, ut videtur, litteris ductus, accuratius paullo, quam ceteram tabulam, perlustravit, quin delineatam nonnullorum addidit imaginem. Quamquam nescio equidem, quid singulis locis in tabula repperit, quid ducta ratione numerorum de suo, quid de meo receperit. Cum vero nonnunquam, licet rarissime, verum eum legisse appareat, ne studio magis partium, quam veritatis ductus, nimis opus eius neglexisse videar, varias eius lectiones ubique commentario adiungam, ita ut liberum unicuique de iis sit iudicium.

Antequam vero ipsam tabulam explicandam aggrediar, brevem liceat de alimentaria institutione dissertationem praemittere, quo melius intelligantur, quae de illa proferenda habemus. Plures quidem viri docti de alimentis verba fecere, quorum Spanhemium (*de usu et praestantia numismatum II, p.* 543), Muratorium (*Symbolae litt. Florentinae, vol. V, a.* 1749), Maffeium, alios tabulae Veleiatis editores (quos v. apud Petrum de Lama, *tavola alimentaria Veleiate, Parma* 1819), Sartium deinde (*de antiqua civitate Cuprae montanae, Pisauri* 1748) nominasse sufficit; clariorem vero lucem huic quoque rei Burghesius attulit, qui saepissime nobis laudandus erit. Sed transcursim modo de variis quibusdam rei alimentariae partibus ille egit; de universa eius vel institutione vel administratione a nemine

unquam, quod equidem sciam, disputatum est. Nicolai enim Rattii dissertationem de *institutionibus beneficentiae publicae apud Romanos*, quae exstat in actis academiae pontificiae Romanae (III, p. 377 ss.) silentio praetermittere malo, quam refutando operam perdere; tam multis tamque apertis erroribus atque ineptiis illa repleta est.

Quae cum ita sint, ea ratione in explicanda tabula Baebiana mihi versandum esse duxi, ut diligenter conquisitis omnibus scriptorum verbis, omnibus autem inscriptionibus, quibus vel alimentarii vel qui curam eorum gerebant, commemorantur, quam clarissimam grandis illius institutionis imaginem lectoribus proponere studeam, tum demum ad ipsum transeam monumentum, ita ut de Liguribus quidem Baebianis, ad quos pertinet illud, proferam, quae e scriptoribus et monumentis sciri possunt, de singulis autem familiis tabula commemoratis ita disseram, ut, quae in ipsis vel Ligurum vel Beneventanorum finibus de iis exstant, testimonia lectoribus proponam, historiam earum conscribendam aliis relinquam, quaestiones porro topographicas plane omittam; de iis enim, si voluerint, videant, quibus ipsa loca visere licebit.

I. Iam liberae rei publicae aetate magnam plebis Urbanae partem frumento publice dato sustentatam esse constat, neque Caesari dictatori neque Augusto imperatori, ut abusum perniciosissimum e re publica penitus removerent, successerat. Quamquam enim ita ab iis rem frumentariam institutam fuisse scriptum invenimus, ut universae quidem plebi Urbanae modico pretio frumentum venderetur, suo tamen iure Mommsenius (de tribubus, Altonae 1844, p. 199) nuper proposuit, certum quendam numerum tesserarum per tribus singulas gratis distributum esse. Quarum quidem numerus, augescente in dies

plebis Romanae multitudine, cum Romam ex omnibus provinciis homines confluerent, itidem sine dubio paullatim auctus est. Semper tamen solam Urbem imperatorum liberalitas spectabat, nec pauperum, qui per Italiae oppida sparsi erant, civium ullus imperator ante Nervam curam habuerat. Hic initio quidem ob exhaustum, quod Domitianus ei reliquerat, aerarium cum Circensibus (1) frumentationes quoque sustulerat; iam primo tamen eius imperii anno redditas eas plebi esse, nummo quodam docemur, cuius adversa Nervae caput laureatum ostendit cum IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P, aversa modium prominentibus spicis et papavere cum verbis PLEBEI. VRBANAE. FRVMENTO. CONSTITVTO. S. C. (Eckhel VI, 407). Neque eiusmodi liberalitate contentus, primus Nerva ad Italiae quoque oppida munificentiam suam extendit, ita ut liberorum potissimum educandorum curam gereret iisque alimenta assignaret (cf. Tillemont, histoire des empereurs II, p. 138; de Lama tab. Vel. p. 16; Morcelli de stilo etc. I, p. 238; Eckhel. l. c.). Haud ignoro equidem complures viros auctoritate minime spernenda, e quibus Muratorium nomino (Symbolae litt. Florent. vol. V, p. 11), Nervam negasse eius instituti fundamenta iecisse, silentio praecipue Cassii Dionis ad illam sententiam adductos; nec notum illum titulum Pisaurensem C. Mutteii Severi, in quo Nervae nomen exstare plerisque visum est, pro argumento afferre licet (2); minime enim ille ad Nervam per-

(1) Dio 68, 2; et si genuinus est, nummus quem Eckhelius exhibet (VI, p. 406) cum epigraphe CIRCENSES CONSTITVTI vel RESTITVTI.

(2) Cum enim apud Gruterum (440, 6) plurimosque alios (Reines cl. VI, 24; Donium cl. V, 17; Olivierum Marm. Pisaur. XXXVIII) monumentum dedicari legamus a decurionibus et plebe urbana EX. DIVI. NERVAE. EPVLARVM. OB. MERITA, quod sensu omnino caret, Muratorius (520, 4) EX. DIVISIONE. EPVLARVM. OB. MERITA scripsit. Quae lectio primo sane adspectu inepta videtur esse ex ingenio profecta coniectura, ita ut *Divi Nervae auctoritate* aliudve eiusmodi proponere quam illam adoptare malueris. Exstat tamen titu-

tinet. Nihilo tamen minus Nervam institutionem alimentariam condidisse certissimum. Habemus enim diserta verba Aurelii Victoris auctoris, ut constat, gravissimi maximaque fide digni (Epit. c. 12): *puellas puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico per Italiae oppida ali iussit,* ac nummum eiusdem, quam modo descripsi, adversae, in cuius aversa *imperator* exhibetur *sellae curuli insidens, qui dextram extendit versus puellum puellamque, adstante iuxta muliere,* adiuncta inscriptione TVTELA ITALIAE (Eckhel. VI, 407), testimonia magni sine dubio momenti, quibus satis, spero, nostra sententia firmatur, cum nimium Xiphilini auctoritati tribuant, qui ex eius silentio argumentum ad eam refellendam desumpserunt. Praeterea totam si respexeris rationem, qua imperium Nerva administravit, ab eius indole atque ingenio minime abhorrere eiusmodi institutionem facile intelliges. Quin haud scio, an ad ipsa alimenta pertinuerit legata accipiendi ius, municipiis ab imperatore illo concessum; *civitatibus omnibus,* scribit Ulpianus (XXIV, 28), *quae sub imperio populi Romani sunt, legari potest, idque a divo Nerva introdu-*

lus piane similis (Or. 88 ex Donat. II, p. 350, 1), quem dedicant *L. Musetio. L. f. Ouf. Sabino. equo publico. patron. municip. Tufic. et municip. Attidiat. et Cuprens. Mont. pontif. augur. IIII vir. iuri. dicund.* DECVRIONES. ET. PLEBS. EX. EPVLIS. SVIS. OB. MER. EIVS. L. D. D. D. Cum quo titulo beue Marinius (Arv. p. 400) Africauam contulit inscriptionem, qua *D. Julio Regino decurion. Karthag. Aed. II vir. . . . ord. decurionum. EX. SPORTVLIS. SVIS. ob merita* statuam posuit. Hoc igitur coustat mouumeuta uonnunquam erecta esse ex pecunia destinata ad epula publica; quae cum legatis potissimum civitatibus compararetur, ad idem fere redeunt, quas in inscriptionibus Anagninis iuvenimus, formulae EX. LEG. SVIS vel EX. LEG. POPVLI, quam pleniorem alius eiusdem oppidi titulus EX LEGATIS POPVLI exhibet. (Hasce inscriptiones, quae apud Dionysiam minus correcte leguntur, nova adiecta alia, ex Brunnii apographo edemus.) Minime igitur mihi dubium, quin uostro quoque titulo lectio geuuiua Muratoriana sit EX. DIVISIONE. EPVLARVM, i. e. ex pecunia, quae ad epulas publicas dividi solebat; Nervae vero ibi meutio omnino non exstat.

Digitized by Google

ctum, postea a senatu auctore Adriano diligentius constitutum est (1). Antequam enim ius illud civitatibus concessum esset, de alimentorum institutione, qualem ex inscriptionibus fuisse eam novimus, vix cogitari potuit. Atque ita quidem vivorum curam gerebat; aliud autem eius institutum et ipsos, ni fallor, mortuos spectabat, *funeraticum* dico *plebi Urbanae institutum denariorum LXIIS* (2); paullo enim audacius Eckhelius (VI, p. 407) *frumentum* legendum esse proposuit. Nota sunt Romanorum collegia funeraticia, quorum clarissimum exemplum inscriptio Lanuvina nobis praebuit; institutum quoddam publicumNerva fortasse fecit, quo funeraticia pauperibus praeberentur, cuius tamen praeter allata verba incerti auctoris, sive Eusebius, sive alius est, nullum omnino vestigium exstat. Annus autem, quo alimenta publica instituta sunt, ipso quem citavimus nummo satis indicatur, quippe qui consulem III, prima tribunicia potestate Nervam tum fuisse demonstret; ad annum igitur 97 p. Chr. alimentorum origo referenda est.

II. Nerva primo iam insequentis anni mense mortuus est. Quapropter non est mirum, quod de institutione alimentaria, quo modo ab eo ordinata fuerit, nihil prorsus traditum accepimus. Successit ei Traianus, qui vix Urbem ingressus alimentorum curam in se suscepit; εἰς δὲ τὴν Ῥώμην εἰσελθὼν πολλὰ ἐποίει πρός τε διόρθωσιν τῶν κοινῶν καὶ πρὸς χάριν τῶν ἀγαθῶν, ἐκείνων τε διαφερόντως ἐπιμελούμενος, ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν τῶν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι, καὶ τούτους εὐεργετῶν (Dio 68, 5). Muratorius quidem post

(1) Cf. quae de collegiis exposuit Mommsenius, de collegiis et sodalitiis Romanorum p. 123; nam semper fere eadem de collegiis valent ac municipiis.

(2) Catal. imperatorum Vienn. apud Roncalli, vetustiora Lat. scriptorum chronica II, col. 243.

bellum demum Dacicum his rebus Traianum occupatum fuisse credidit, eo potissimum argumento nisus, quod in tabula Veleiate Dacici cognomine utitur (l. c. p. 15). Quam sententiam, cum sola tabula Baebiana satis refellatur, quippe quae ad quartum Traiani consulatum sive annum 101 p. Chr. spectet, ne commemorare quidem opus erat, nisi illi error subesset gravissimus, quo per omnes Italiae civitates eodem tempore alimenta publica instituta esse homines sibi persuaserunt. Quam rem fieri non potuisse, si ab ipso imperatore pecuniae ad alimenta dabantur, plurimi, qui tabulae Veleiati illustrandae operam navarunt. probe animadvertentes, imperatorem rei alimentariae auctorem quidem fuisse statuerunt, municipia autem sua pecunia alimenta ipsa comparasse, ita ut principis nomen per adulationem tantum tabulis praepositum sit (cf. de Lama, l. c. p. 21).

At plane aliter Traianus in alimentis instituendis versatus est; id quod ipsa, quae reliqua habemus, antiqua monumenta satis demonstrant. Etiamsi e Dionis verbis modo allatis de tempore argumentum peti posse non concesseris, Plinium tamen in Panegyrico, quem anno 853 (100) in senatu protulit, alimentorum mentionem fecisse nemo facile infitias ibit. Annum deinde sequentem et tabula nostra Baebianorum spectat, et Amerinorum titulus, *imp. Nervae. Traian. Aug. Germ. pont. max. trib. potest. cos. III. p. p.* NOMINE PVERORVM. PVELLARVMQVE VLPIANORVM *ex S. C.* positus (1). Sequuntur praeter tabulam alimentariam Veleiatium nummi inscriptione ALIM. ITAL. insignes, *imperatorem* exhibentes *togatum stantem vel sedentem, qui manum extendit modo versus duas parvas figuras adstantes, modo versus mulierem cum binis infantibus, quorum unum in ulnis gestat,* consulatu Traiani quinto et sexto notati; quibus alium cum Eckhelio (l. c. p. 425) addere licet, quo *imperator togatus conspicitur, qui mu-*

(1) Grut. 1084, 7; quem ipse Muratorius (230, 5) edidit.

lierem genu flectentem sublevat, versus quem duo puelli manus attollunt, adiuncta epigraphe REST. ITAL. Constat nummorum typos semper referendos esse ad res paullo ante, quam ipsi signati sint, factas, ita ut saepe aedificiorum imagines in iis expressas videamus, quae certo tum nondum erant perfecta, interdum nunquam perfecta sunt (Burghesius, arco di Rimini (Brighenti) p. 31 ss.), Traianus autem quintum anno 857 (104), sextum anno 865 (112) consul processit; per totum igitur illud temporis spatium alimentorum largitiones ab imperatore continuatas esse probabile. Accedit inscriptionis fragmentum, quod Auximi mihi exscriptum correctius denuo hic profero (cf. Fabr. p. 686, 91; Mur. 230, 3):

Imp. Caesari. D IVI.NERVAE.F.NERVAE *Traiano.Aug.*
Germanico. Dacic O . PONTIFICI . MA *ximo. trib*
pot. XII (?) IMP. VI . COS . V *p. p.*
ob mu NIFICENTIAM . SVAM
SVBOLEMQ. ITALIAE
IT MVNICIPII *Auximatium*
decuriones et plebs (?)

Quae quidem inscriptio, cum consul V et imperator VI inde ab anno 861 usque ad sextum consulatum Traianus appelletur, ad idem tempus cum nummis referenda est. Exstant igitur testimonia certissima, quibus diverso tempore Traianum ad alimenta puerorum pecunias dedisse docemur; cui sententiae in ipsis Veleiatium ac Baebianorum tabulis sunt quae fidem faciant (1).

Tabulam enim Veleiatem duarum obligationum documentum esse constat, quarum alteram plerumque liberalitate modo imperatoris modo ipsorum Veleiatium factam

(1) Anaglyphum quoque quoddam arcus Beneventani ad alimentorum institutionem pertinet, in quo Traianus conspicitur, ad quem quattuor accedunt mulieres coronis muralibus ornatae cum puerulis virisque puerulos humeris gestantibus. Quae mulierum figurae municipia Italiae repraesentant.—Ipse arcus ad trib. pot. XVIII spectat.

esse dicunt, alteram unius hominis privati Cornelii Gallicani munificentia. Nihil tamen est, cur dubitetur, quin omnia alimenta ipse imperator Veleiatibus largitus sit; nam Gallicanum magistratum fuisse alimentis praepositum Burghesius demonstravit (Bull. Inst. 1844, p. 126 ss.). Duas igitur ipsius Traiani obligationes babemus, alteram ante annum 104 factam, alteram post, id quod ex Dacici nomine sequitur, quod cum in illa desit, in hac imperatori additur. Immo, qui paullo accuratius monumentum perscrutatus erit, facile de duabus quoque aliis obligationibus sermonem in eo esse inveniet, altera per Pomponium Bassum (col. III, 10, 53) facta, altera per eundem Cornelium Gallicanum, quam diversam esse ab illa, cuius capita in tabula exhibentur, eo cognoscimus, quod, ubicunque nomini alicuius adiunctum est *deducto quod Cornelius Gallicanus obligavit,* idem nomen in Gallicani obligatione re vera exstat, sola Cornelia Severa, cuius praedia non minus a Gallicano obligata erant, minime ibi commemoratur (cf. col. V, 38 et VII, 48; III, 10 et VII, 37; II, 36 et VII, 54; porro V, 57). Ac recte Petrum de Lama (tab. Vel. p. 70) aenearum tabularum fragmenta aliquot Veleiae reperta, quae in ipso de tabula alimentaria libro publici iuris fecit, ad tales obligationes retulisse censeo. Quae cum ita sint, quater Traianum Veleiatibus pecuniam ad alimenta largitum esse certum est, tabulam vero nobis servatam earum obligationem spectare ultimam. Eandem vero rem in tabula Baebiana repperisse mihi videor. In qua cum in universum quidem nulla addita obligationis nota singula capita proponantur, tribus tamen eorum verba OBLEG. VIIII (II, 26; III, 14), vel OBLEGATIONE VIIII (III, 18) adiuncta sunt. Quibus explicandis mire inservit tabulae Veleiatis formula: *obligatio facta per Cornelium Gallicanum;* in Baebiana enim nominis loco numerus positus est. Caveas autem novies vel decies — nam decimam sine dubio obligationem tabula Baebiana spectat, — Baebianis

pecuniam datam esse putes; quamquam enim quattuor Veleiatium obligationes intra octo fortasse annos factas esse constat, minime tamen intra quattuor vel quinque annos decies Baebianis talem largitionem praestitam esse in animum tibi induxeris. Immo, Mommsenii, quam de ea re mecum communicavit, sententiam adoptare non dubito, omnes, quas uno tempore municipiis imperator ad alimenta largitus sit, pecunias, ob quas, ut tabulae Veleiatis verbis utar, praedia obligarent, unius obligationis nomine designatas fuisse, ac secundum obligationum seriem cum in singulis Italiae oppidis, tum in ipso tabulario publico Romano rationes ac tabulas rei alimentariae servatas fuisse. Quod si verum est et recte iam ab anno 97 institutionem alimentariam originem duxisse statuimus, decem per quinque annos obligationes ita fortasse distribuendae sunt, ut bis per annum ab imperatore illa largitio facta sit. Annuam igitur vel semestrem pecuniam alimentis imperator destinavit; nomina dabant municipia, quibus certam deinde pecuniam ille assignavit. Tum cives eorum, nonnunquam ipsa res publica, (tab. Baeb. III, 21) fundos, quos obligarent, professi sunt. Fieri igitur poterat, ut vel exhaustae iam essent pecuniae anni alicuius liberalitati destinatae, ita ut municipium aliquod partem tantum pecuniarum, quibus ei opus erat, accipere posset; vel tempore praescripto numerus sufficiens fundorum a civibus non obligaretur; vel denique acceptarum pecuniarum reditus ad praestanda alimenta non sufficere postea appareret; semper alius anni liberalitas exspectanda erat. Atque ita, ni fallor, Veleiates quattuor, Baebiani duabus liberalitatibus sive obligationibus usi sunt.

Hac vero sola ratione fieri potuit, ut re vera imperator ipse Italiae alimenta praestaret. Quod enim multi proposuerunt, non esse cogitandum de vera imperatoris munificentia, quippe cuius auctoritate tantum alimenta pueris praestare municipia quasi coacta sint, id et disertae

Digitized by Google

scriptorum narrationi refragatur, et insigni quoque refellitur Faliscorum titulo, quem ab Amatio exscriptum mecum communicavit Burghesius:

C. IVLIVS . C. F. HOR. SEVERVS
SACERD. ISID. ET . MATR. DEVM
QVAEST. ALIM. CAES. QVAES. R. P. CVR. IVV.
IIII.VIR. AED. IIII.VIR. I. D. IIII.VIR. QVINQ.
HIC . OB . HONOREM . AEDILITAT. HANC
*po*RTICVM . VETVSTATE . DILAPSAM
. . . . QVAM . IMPEN . MENSVRIS
. . . . HS XXVIIII CCC N. D. D

in quo *alimenta Caesaris* ab imperatore tales largitiones factas esse satis testantur. Nec minoris momenti, dummodo de lectione constaret, Sex. Minii Silvani titulus, quippe qui *Quaestor* SAC*rae Pecuniae* ALIM*entariae* nuncupetur (Guarinius, tituli nonnulli Allifani, Calatini, Saepinates, Velletri 1839); nomine enim *sacrae* pecuniam ab imperatore donatam fuisse satis indicatur. Confirmatur praeterea haec de alimentis Caesaris sententia alia inscriptione, de qua postea disserendum erit, in qua *pecuniae* REIPVBLICAE *alimentariae* mentio fit. Quam inscriptionem aliam quoque ob caussam alimenta liberalitate municipali donata spectare credo (cf. §. VIII.), ita ut alimenta Caesaris et pecunia rei publicae alimentaria eo, quo diximus, modo inter se differant. Multis praeterea in municipiis divites quoque privati alimentorum nomine rei publicae magnam saepe pecuniam vel donarunt vel legarunt, cuius rei exemplum splendidissimum Plinius praebet, qui cum vivus civitati Comensi quingenta millia in alimenta ingenuorum ingenuarumque donasset (Ep. VII, 18), testamento altera trecenta ei legavit. Habemus eius liberalitatis documentum memoria dignissimum inscriptionem regis Lotharii sarcophago insertam, quam et Gruterus

(1028, 5) et Donatius (p. 260, 1) minus correcte ediderunt, quapropter ex Aldinii marmoribus Comensibus (p. 107; cf. Burghesium de Burbuleio p. 19) denuo hic eam profero:

C.PLINIVS . L. F. OVF. CAECILI*us* . *Secundus* . *Cos*
AVGVR. LEGAT. PRO.PR.PROVINCIAE.PONTI.*et* . *Bithyniae*
CONSVLARI . POTESTATE . IN . EAM.PROVINCIAM.*et.Thraciam.ab*
IMP. CAESARE . NERVA TRAIANO . AVG. GERM. *Dacico* . *missus*
CVRATOR . ALVEI . TIBERIS . ET . RIPARVM. *et.cloacar.urbis*
PRAEF. AERARI . SATVRNI . PRAEF. AERARI . MILI*t*. *praetor. trib*
plebis QVAESTOR . IMP. SEVIR. EQVITVM *Romanorum*
trib. milit. leg. III Gallicae . flamen . Divi . T. Aug
Xvir. stli TIB. IVDICAND. THERM*as* . . . .
ADIECTIS . IN . ORNAT. HS . $\overline{CCC}$ . . . . *et*
*am*PLIVS . IN . TVTELA*m* . HS $\overline{CC}$. T. F. I
. . . LIBERTOR . SVOR . NOMIN . HS . $|\overline{XVIII}|$LXVI. D. CLI. REI
. . . MENT.POSTEA.AD.EPVLVM.PLEB.VRBAN.VOLVIT.PERTIN
. . . DEDIT.IN.ALIMENT.PVEROR.ET.PVELLAR.PLEB.VRB.HS.CCC
. . . . IN . TVTELAM . BIBLIOTHECAE . HS . $\overline{C}$

Exstat praeterea Caeliae Macrinae titulus, quae in *memoriam Macri filii sui Tarricinensibus* HS $|\overline{X}|$ *reliquit, ut ex reditu eius pecuniae darentur centum pueris* alimenta (Bull. 1839, p. 153).

Quamquam igitur alia eiusmodi exempla münificentiae privatae in promptu non habeo, eadem tamen ratione alibi quoque alimenta instituta esse credere licet, cum veterum in cives liberalitas nota sit, maxime quidem ludis epulisque declarata. Notum praeterea T. Helvii Basilae monumentum est, qui *Atinatibus* HS. CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ *legavit, ut liberis eorum ex reditu, dum in aetatem pervenirent, frumentum, et postea sestertia singula millia darentur* (Or. 4365 ex Dionigi, Viaggio p. 60). Ea enim sola re ab institutione alimentaria differre videtur, quod maiore

munificentia alimentis Helvius pecuniam addiderit. Quam tamen institutionem caveas ne imitationem esse credas alimentorum Traiani. Vixit enim Helvius ille Augusti aetate, quippe qui *procos. leg.* dicatur *Caesaris Augusti*, id quod rursus scriptum invenimus in alio quodam titulo a M. Tillio quodam ei posito (Dionigi p. 72). Monuit enim Burghesius provincias, cui aliquis praefuerat, saepe quidem omissas esse Augusti et Tiberii temporibus, rarius iam Claudii aetate ac Neronis, postea semper fuisse adiunctas (Osserv. num. dec. IV, 8; Giorn. Arcad. 1831, t. 49, de consule Volusio). M. Tillius praeterea L. f. cognomine non est praeditus, quod et ipsum aetatis remotioris iudicium est.

Ceterum satis ex inscriptionibus antiquis constat, summos municipiorum magistratus saepe imitatos esse, quae in plebem Urbanam imperatores beneficia conferre solebant. Praesertim autem pro privata liberalitate tum alimenta babenda sunt, cum extra Italiam ea reperimus; nam imperatorum largitiones solam Italiam spectasse omnibus collatis testimoniis apparet; regiones enim confines, Gallia cisalpina, Istria et Liburnia iam anno U. 713 statim post bellum Perusinum cum Italia coniunctae sunt (cf. §. VIII). Nihilo minus in colonia Africana Curubis alimentorum curator vel procurator invenitur (Maffei M. V. 463, 3 =Donat. 346, 6=Or. 530 ex Shaw VIII, 202); credo igitur aut de privilegio quodam peculiari illi coloniae concesso aut de privata institutione ibi cogitandum esse.

III. Ultimum, quod attulimus, largitionis Traianae monumentum nummus est sexto eius consulatu notatus. Septimum consul nunquam processit, quapropter annus, quem nummus ille spectet, accuratius definiri nequit. Nescimus igitur, num usque ad mortem eius continuatae eiusmodi liberalitates sint, an prius cessaverint. Ceterum omnibus, quibus tum opus erant, Italiae municipiis publica ab eo alimenta praestita esse, ex eo consequi videtur, quod ab Hadriano et, qui ei successerunt, Antoninis rarius tan-

Digitized by Google

tum nec nisi oblata aliqna occasione solemni, nova alimenta institnta sunt. Hadrianum pueris ac puellis, qnibus etiam Traianus alimenta detulerat, *incrementum* liberalitatis adiecisse Spartianns narrat (c. 7), Antoninns vero Pius puellas alimentarias in honorem Fanstinae Faustinianas constituit (Iul. Capitol. 8), id quod, cum anno tertio imperii uxorem amiserit (cf. Iul. Cap. 6. et Murat. 239, 3; Eckhel VII, 40), circa annnm 893 factum est; cuius rei testimonium praeterea in nummo quodam exstat, qni in adversa Faustinae caput, in aversa cum inscriptione PVELLAE . FAVSTINIANAE *imperatorem* exhibet *togatum, sedentem in suggestu, qui puellam ab alia figura accptat; infra puellas plures* (Eckhel l. c.) Saepius autem optimum principem ad alimenta animum advertisse, e monumentis satis elucet. *Pueri et puellae alimentarii Cuprenses Montani* Antonino Pio *trib. pot. XII. imp. II. Cos. IIII* (Sarti, de antiqua civitate Cupra montana; Donat. p. 354,2; minus correcte Murat. p. 238, 2), i. e. anno 902 (149) monumentum erexerunt; alius titnlus ab Urbinatium *pueris et puellis alimentariis* anno insequenti M. Aurelio Caesari positus (Grut. 1022, 6; Murat. p. 238, 3). Quibns qnidem inscriptionibus diserte non dicitur nova fuisse institntio, qua alimenta, qui eas posuerunt, accipiebant; neque tamen nisi accepto novo quodam beneficio a municipiis eiusmodi titulos positos esse probabile. Nummi deinde trib. potestatis XIIII, XXIII, XXIIII, licet inscriptione carentes, ipsis typis annorum cum 904 (151), tum 913 (160) et 914 (161) alimentarias liberalitates testantur, quarum prima fortasse ad dedicationem templi Divi Hadriani et Sabinae pertinet (Eckhel VII, p. 22; 40), ultima haud scio an propterea facta sit, quod M. Aurelius tertium eo anno consul processerit; habemus certe Aurelii Caesaris nummnm plane similem, quo TR. POT. XV. COS. III nuncupatur (Eckhel VII, p. 48), anni videlicet, quo Antoninus Pius mortuus est, cuius memoriam tanta veneratione ali-

mentarii colebant, ut etiam DIVO . ANTONINO monumentum erectum ab iis esse reperiamus (Murat. 238, 4 =Gud. p. 90, 11=Gori, inscr. Etr. p.348.). Nec minorem operam M. Aurelius ei rei impendit, qui *de alimentis publicis multa prudenter invenisse* dicitur (Capitol. 11). Testimonium eius rei clarissimum titulus a *pueris et puellis alimentariis Ficolensium* iam altero imperii anno ei positus (Marini, inscr. Alb. p.42., in add. p.231). Mox cum L. Veri cum Lucilla nuptiae celebrarentur, Augusti *ob hanc coniunctionem pueros et puellas novorum nominum* (1) *frumentariae perceptioni adscribi praeceperunt* (Capit. 7); postea *novas puellas Faustinianas instituit* M. Aurelius *in honorem uxoris mortuae* (ibd. 26), quae in eius contra Avidium Cassium expeditione (anno 928=173; cf. Eckhel VII, p. 63) decesserat. Atque ad has equidem puellas Faustinianas anaglyphum pulcherrimum in Museo villae Albaniorum adhuc servatum referendum credo, in quo mulieres duae stantes in suggestu, complures autem ante illum conspiciuntur puellae, quarum quae proxime ad suggestum accessit, vestem pandit, ut ab altera mulierum frumentum accipiat. Hoc quidem recte iam intellexit Georgius Zoëga (Bassirilievi I, p.154); sin autem re vera mulier, quae alimenta distribuit, Faustina iunior est, ad institutionem potius in eius honorem conditam monumentum spectare videtur, quam ad puellas Faustinae maioris, quibus filiam praesedisse Zoëga coniecit. Magis sane antiquorum hominum indoli et ingenio consentaneum, ut ipsa Augusta, cuius nomine appellabantur, si Faustinianae puellae repraesentandae erant, tamquam ea, quae liberalitatem iis distribuebat, fingeretur. Ab eo inde tempore nihil amplius de novis alimentorum largitionibus traditum accepimus, excepta puerorum puellarumque Mammaeano-

(1) Ita pro *hominum* legendum esse recte Salmasius coniecit: ut Faustinianae et Ulpiani, hi Aureliani fortasse et Veriani dicti sunt. cf. Spanhem. de usu et praest. num. II, p. 511.

Google

rum institutione facta ab Alexandro Severo imperatore (Ael. Lamprid. c. 57).

IV. Iam vero, expositis alimentorum et origine et incrementis, tempus est disserendi de eorum tum institutione, ut ita dicam, interna, tum administratione. Ac primum quidem bene distinguendum est inter alimenta pueris ipsius Urbis Romae assignata atque ea, quae Italiae oppidis data sunt. De illis diserte Plinius (Paneg. 26 sqq.), de congiario a Traiano plebi Romanae dato verba faciens: *adventante congiarii die observare principis egressum in publicum, insidere vias examina infantium futurusque populus solebat; labor parentibus erat ostentare parvulos impositosque cervicibus adulantia verba blandasque voces edocere* (nam iuris trium liberorum in eiusmodi largitionibus rationem habitam esse, Mommsenius recte suspicatus est; cf. de tribubus p. 193, n. 46) *tu ne rogari quidem sustinuisti et . . . omnes, antequam te viderent adirentve, recipi, incidi iussisti, ut iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur . . . alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent tantumque omnes uni tibi, quantum parentibus suis quisque deberet.* Quibus ipsis verbis satis apparet, non esse sermonem de solo congiario, sed, qui ad id admissi erant, frumento publico in perpetuum fruebantur; quapropter in verbis sequentibus quoque congiarium Plinius componit cum alimentis (cf. 27, 28). *Paullo minus*, pergit, *quinque millia ingenuorum fuerunt, quae liberalitas principis nostri conquisivit, invenit, adscivit; hi subsidium bellorum, ornamentum pacis publicis sumptibus aluntur patriamque non ut patriam tantum, verum ut altricem amare condiscunt; . . . quanto maiorem infantium turbam iterum atque iterum videbis incidi,... dabis congiaria, si voles, praestabis alimenta, si voles, illi tamen propter te nascuntur.* Cum enim in Urbe iam dudum frumentationes plebi datae essent, ita tamen ut viri tantum adulti ac fortasse soli patres familias ad eas admit-

terentur (cf. Mommsen, tribus p. 193, n. 46); ibi nihil aliud imperatori agendum erat, nisi ut tabulis eorum, qui frumentum publicum gratis accipiebant, puerorum nomina incidi iuberet (1). Inde facile intelligitur, quod neque pueri neque magistratus alimentarii, quorum memoria monumenta Italica repleta sunt, Romae unquam reperiuntur. Satis enim erat, ut eorum nominibus nota adderetur, receptos eos esse in plebis frumentariae numerum. Huc igitur pertinet inscriptio Muratoriana (1161,11), quam ad Morcellii de tesseris dissertationem Ioannes Labus (n. V) denuo protulit, in qua Eutyches quidam puer INCISVS dicitur INGENVVSQVE ACCEPIT CONGIARIVM XC, quem numerum v. cl. *ostio nonagesimo* explicandum esse censuit, equidem potius pro *denariorum centum* habuerim. Acceptum autem congiarium perceptionis frumentariae ius satis indicat. — Qui incisus erat, simul tribui cuidam adscriptus esse debebat, ut est in titulo quodam Romae ad D. Pauli asservato, quem primus edidit Marinius (Arv. p. 170), ego ob lectionis quandam varietatem fractura lapidis ortam hic repeto:

D . M
L . AVRELIO . TYCHENIANO
L . AVRELIVS . STEPHANVS . PATER
FILIO . DVLCISSIMO . ET . PIENTISSI
MO . BENEMERENTI . FECITITVLV
*Ty*CHENIANVS . DICIT . FATIS . AB
*re*PTVS . HIC . IACEO . RELICVI TRI
bu M INGENVAM FRVMENTVM
*publ*ICVM . ET . AENEATORVM
. . . *quicum*QVE . LEGET . NOLO
. . . . CTVM . SIC
. . . .

(1) Iam Tillemontius (histoire des empereurs II, 162 et 498) et Muratorius (Symb. litt. l. c.) simile aliquid suspicati sunt, sed posuerunt magis, quam probaverunt.

Digitized by Google

Puerum ibi indicatum esse, praeter patrem, qui titulum posuit, id ipsum fidem facit, quod tribus et frumentum publicum commemorantur, id quod in adultorum titulis nunquam me legere memini. Cum vero ipsius tantum frumenti publici caussa inciderentur pueri, aliorum inscriptionibus simpliciter additum est, quoties eius perceptione fructi sint, mensis nonnunquam die atque ostio adiunctis. Sic legimus: FRVMENTVM . PVBLICVM . ACCEPIT . MENSIBVS . VIIII (Fabr. p. 235, 619=Mazocchi, tab. Heracl. p. 322), vel HIC . SEPTIMVM . DECIMVM . FRVMENTVM . PVBLICVM. ACCEPIT (Fabr. p. 189, 437=Reines. cl. XV, 12=Selden, marm. Arundel. n. VII), vel etiam FRVMENTVM. ACCEPIT . DIE . X . OSTIO . XXXIX (Fabr. inscr. p. 235, 618 = de col. Trai. p. 36.), FRVM . AC . D . VII . OSTIO . XV (Fabr. inscr. p. 234, 617=de col. Trai. p. 36; nunc in Museo Burbonico); unde infantibus eadem ratione, atque adultis, Romae frumentum distributum esse cognoscimus, ut tessera certo mensis die ad certum quoddam porticus Miniciae ostium accepta ex horreis publicis ratam sibi portionem peterent. Comprobavit quidem, quem saepius laudavimus, Mommsenius (l. c. p. 201) ex inscriptione Orelliana 3093 aliisque veterum locis hereditariam paullatim factam esse gratuitam illam frumenti perceptionem, sive, quam illa aetate proprie dicebant, tribum. Idem vero filios familias frumentationibus exclusos fuisse neque plures portiones distributas esse coniecit, quam census continuerit professiones. Cum igitur in quattuor e sex, quas citavimus, inscriptionibus patres puerorum nominentur (Mur. 1161, 11; Marini Arv. p. 170; Fabr. p. 234, 617; 235, 618), de peculiari quodam puerorum privilegio cogitandum est, quod vix aliud esse poterat atque alimentorum perceptio. Sin dubitaveris, num *frumento publico* alimenta significentur, quae alibi dicuntur, eius inscriptionis te meminisse velim, qua Sextia quaedam Saturnina annorum VI puella

ING*enua* dicitur FR*umento* PVBL*ico* DIV*ae* FAVST*inae* IVNIOR*is* (Grut. 828, 6=Mur. 180, 2=Or. 3365); Faustinianas enim puellas alimentarias fuisse nemo negabit. Cum vero ita Romae alimenta instituta essent, ut frumentariae plebi, i. e. tribubus, qui ea accipiebant, adscripti essent, puellis inter eos locum non fuisse dixerim, quae neque inscriptionibus neque a Plinio commemorantur. Quae cum deteriore propterea conditione uterentur quam municipiorum puellae, hoc permovisse videtur Antoninum et, qui eum imitatus est, M. Aurelium, ut Faustinianas puellas instituerent. Quamquam, num Romam solum, an Italiae quoque municipia institutio illa spectaverit, deficientibus monumentis non satis liquet. Quae enim semel nominantur PVEL . MVNICIP . CVMANOR. (Bull. Inst. archaeol. 1838, p. 79), etiamsi genuina lectio neque pro *puel* . PVBL legendum est, cum Faustinianarum nomen desit, ad municipalem quandam institutionem privatae liberalitatis referre malim, praesertim quod tubus plumbeus, cui verba citata inscripta sunt, ad possessionem quandam earum pertinere videtur; id quod, quamquam ad ineptias nonnullorum, qui orphanotrophiorum instar aedes alimentarias constitutas fuisse crediderunt, bene quadrat, ab alimentis tamen, qualia imperatores Romani per Italiae municipia constituerunt, maxime alienum est.

V. Ibi enim instituendorum alimentorum ratio plane diversa. Romae frumentationes novae illi institutioni fundamentum praebuerant, in municipiis vero sola sua liberalitate, et si quando privatorum munificentia accedebat, si vere *aeternitati Italiae suae prospicere* (Grut. 456, 1) volebant, imperatoribus omnia funditus creanda ac firmiter stabilienda erant, ne quando a malo successore abrogari possent. Non igitur sufficiebat, ut daret imperator, acciperent municipia; sed ita res constituenda erat, ut per omnia tempora manerent reditus alimentis destinati. Quapropter fundos obligasse municipiorum cives vidimus.

Digitized by Google

Imperator enim summam ad alimenta civitati alieni concessit; cives partem eius pecuniae acceperunt, cuius usuras solverent, atque, ut rei publicae vel institutionis alimentariae sors in tuto esset, ut Plinii verbis utar (ep. VII, 18), fundos obligarunt pretii longe maioris, quam acceptae pecuniae summa erat. In Veleiatium e. g. et Baebianorum tabulis pecunia publica, in quam fundus aliquis obligatur, raro plus, quam duodecima pars est pretii fundorum, quos in eam profitentur, magnum sane et insolitum pretii obligati acceptaeque pecuniae discrimen; Augustum saltem scimus (Suet. 41), *quoties ex damnatorum bonis pecunia superfluebat, usum eius gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsisse.* Hic tamen in certum tantum tempus indulsit, pecuniae alimentariae in perpetuum datae. Atque hic locus erit difficultatis cuiusdam commemorandae, cuius mihi quidem sufficiet mentionem fecisse, solutionem ICtis relinquo. Constat enim, ius obligationum ita apud Romanos institutum fuisse, ut is tantum, qui obligaverat, obligatione teneretur inque eum solum actio creditori esset, qua ad usuras praestandas debitor cogeretur. Sin hereditate vel emptione ad alium quendam res obligata transiit, tum creditori actio quidem in possessorem erat, sed ita tantum, ut res venderetur deque proventu ei satisfieret; ad solvendas usuras cogi ille non poterat. Itaque sors quidem creditoris semper in tuto erat, praesertim cum, ut in obligationibus alimentariis, fundorum obligatorum pretium tantopere ei supercurrebat. Facile autem intelligitur, id minime suffecisse in alimentaria institutione, qua aeternitati Italiae, ut est in titulo Pomponii Bassi, imperator prospicere vellet, id quod nisi usurarum perceptione firmiter stabilita fieri omnino non poterat. Quapropter ad Plinii exemplum equidem recurrendum esse censuerim, qui in epistola ad Caninium ita scripsit (VII, 18): *pro quingentis millibus nummum, quae in alimenta inge-*

Digitized by Google

suorum ingenuarumque promiseram, agrum ex meis longe pluris actori publico mancipavi; eundem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus. Eadem fortasse ratione omnes fundi, qui obligarentur, actori publico mancipati, vectigali retento, ipsi possessori redditi sunt; tum usurae vectigalis nomine solvendae in perpetuum manebant, ita ut eadem plane esset publicae ac privatae alimentorum institutionis conditio, nisi quod imperator donabat, ob quae alii obligarent, Plinius ipse et donarat et obligarat. Neque tamen pro certo affirmare ausim, ita in rebus illis Romanos versatos esse. Immo obstat, quod nusquam neque in Veleiatium neque in Baebianorum tabula vectigalis vel mancipationis commemoratio exstat, usurae contra et sors disertis verbis in titulo Veleiate afferuntur. Fuit praeterea Plinius homo privatus; alia autem rerum privatarum et publicarum etiam apud Romanos conditio. Quapropter, si non essent ICti, aliam in lege, aliam in vita in institutione quoque alimentaria rationem obtinuisse dixerim.

Tricena millia annua Plinius daturus erat, i. e. cum quingentorum sortem promisisset, usuras semisses, sane modicas et civiles, ita ut suo iure addere posset, *et sortem fore in tuto nec reditum incertum et agrum ipsum propter id, quod vectigali supercurreret, semper dominum, a quo exerceretur, inventurum esse;* nam usura maxime usitata apud Romanos centesima erat. In obligationibus vero publicis idem prorsus consilium sequendum erat, quin etiam magis minuenda usura, quo idonei debitores invitarentur; praeterquam enim quod fundorum pretium vectigalis necessitate infrangebatur (Plin. l. c.), non facile inveniebantur qui vellent debere rei publicae, sicut ipse Plinius ex Bithynia imperatori scripsit, veritus, ne pecunia suo ministerio exacta otiosa iaceret (Ep. X, 62). Itaque iniuria de Lama dubitat, num re vera usurae tantum quincunces Veleiatibus, qui fundos obligarant, impositae sint, ipsas

illas quincunces ad sola alimenta pertinere ratus (p. 29), ita ut in eorum administrationem pars reliqua impensa sit. Tabulam enim Baebianorum qui paullo accuratius perlustraverit, dimidias tantum Veleiatium usuras a Liguribus solutas esse facile perspexerit, id quod e paucissimis, quae tum nota erant, tabulae frustis recte iam Burghesius eruit (Bull. 1835, p. 151). Quas enim in tabula illa usurarum summas incisas inveneris, caveas ne cum Mommsenio (Bull. 1845, p. 88) pro semestribus reditibus habeas, aequalem per totam Italiam in re alimentaria a Traiano impositam esse usuram putans. Suo quidem iure proposuit usurarum exactionem menstruam apud Romanos fuisse; de qua cum in tabula Baebiana cogitare non liceat, sciri tamen non posse, num ad sex menses, an ad annum spectent summae in ea notatae; quin Veleiatium usura quincunce magis illud probari, quam hoc. At, si re vera de semestri usurarum perceptione agebatur, cuius nullum certe apud antiquos vestigium, in documenti indice hoc indicari debebat. Praeterea in Veleiatium tabula usura quincunx annum spectat; credere igitur licet annuam in re alimentaria usurarum exactionem fuisse. Mirum porro non est, quod secundum regiones variae exiguntur usurae; loquitur Papinianus (Dig. XXII, 1, 1) de *usurarum modo ex more regionis constituto*, Scaevola (ib. XXXIII, 1, 21) de *usuris quae ex consuetudine in provincia praestabantur*. Recte igitur Burghesius diversas in duobus illis documentis usuras ita explicavit, ut in regionibus pauperibus et montuosis, quales Veleiatium sedes erant, pecuniam rariorem ideoque maiores fuisse usuras dixerit, quam in Baebianorum agris in felicissima parte Italiae sitis. Nonnunquam autem usuram tam exiguam apud Romanos re vera exactam esse, praeter digestorum verba ab ipso iam Burghesio laudata (XXXIII, 1, 21), quibus *usurae quadrantes* commemorantur, luculentissimum testimonium affert Tarricinensis illa Caelia Macrina, cuius exemplum eo melius ad rem

nostram facit, quod et ipsum puerorum alimenta spectat. Ea enim IN . MEMORI*am* . MACRI . FILI . SVI . TARRICINENSIBVS HS |X̄| Rel*i*QVID . VT . EX . REDITV. EIVS . PECVNIAE . DARENTVR . CEN*t*VM . PVERIS . ALIMENTOR*um* . NOMINE . SING MENSIB . S*i*NG . PVERIS . COLONIS 𐆖 . V . PVELLIS . COLONIS . *sing.* IN . MENS . SING . 𐆖 . IIII etc. - Omnes alimentarios pueros fuisse ponamus; tum singulis mensibus quingentis denariis sive bis mille sestertiis ad alimenta praestanda opus erat; annua fiunt viginti quattuor millia. Credere igitur licet a Caelia Macrina quoque usuras sextantes et semunciam impositas esse, quae annua dant viginti quinque millia. Restant mille sestertii et id, quod puellae pueris minus accipiebant, quae in administrationem arcae fortasse impendebantur (cf.Burghesium.Bull. 1839, p.156), Constat igitur, in re alimentaria nonnunquam usuras tam exiguas exactas esse; quamquam certum quidem argumentum pro sententia nostra de Baebiana tabula ne hoc quidem exemplum affert, cum de privata largitione in Caeliae monumento sermo sit. Quae cum multa Tarricinensium rei publicae legaret, eo fortasse consilio tam modicas in alimenta exegit usuras, ut ea ipsa re novum in cives conferret beneficium.

VI. Sola autem ea, quam modo exposuimus, ratione effici poterat, ut reditus ita quotannis exigerentur, ut nihil de iis deesset; id quod maxime necessarium erat. Ita enim alimenta instituta erant, ut accurate puerorum numerus usurarum summae responderet; de qua re facile sibi persuadebit, qui tabulae Veleiatis indicem perlegerit. Idem vero semper numerus alimentariorum manere debebat; nam Caelia Macrina testamento cavit, ut centum semper pueri PER SVCCESSIONES (ita cum Mommsenio legendum esse credo) alimenta acciperent. — Sicut vero diversis locis usurae diversae exigebantur, ita summae quoque secundum regiones maiores minoresve singulis

mensibus pueris singulis assignabantur; nam menstruam alimentorum distributionem fuisse et inscriptiones docent et frumentationum Urbicarum similis ratio, iurisconsultorum denique de rebus privatis notitiae, quibus cibaria plerumque menstrua, annua autem vestiaria et pecuniae perceptionem fuisse cognoscimus (cf. Dig. XXXIV, 1, 9; 17). Veleiae sedecim sestertii pueris, duodecim puellis dabantur. Caelia Macrina illis viginti, sedecim his dari iussit. Quam rem ita cum Burghesio explicandam esse censeo (Bull. 1839, p. 156), ut regionibus Romae vicinis maioris pretii frumentum fuerit. — Solum autem frumentum pueris praebitum esse vel ipsum vel quo illud sibi compararent pretium, eodem loco summus ille auctor comprobavit, praeter Capitolini (M. Aurel. 7) verba, quibus *perceptionis frumentariae* nomine alimenta designantur, nummum Traiani potissimum, in quo Liberalitas spicas puerulo offert, titulosque Fabrettianos antea laudatos pro argumentis afferens. Puellas Faustinianas saltem nihil nisi frumentum accepisse, Sextiae Saturninae titulo antea allato satis apparet, et solum frumentum Atinatium *liberis, dum in aetatem pervenirent*, Helvius legavit, cuius titulum, quamquam aetatis multo prioris est, similem tamen rem spectare, nisi quod in incrementum liberalitatis is quidem pueris adultis pecuniae summam addiderit, antea vidimus (§. II; cf. Or. 4365). Unde inutiles plane ac futilissimae virorum doctorum hariolationes, quo modo tam parva pecunia ali pueri potuerint, qua ductus difficultate eo progressus est Muratorius, ut decuplum ea aetate auri pretium quam hodie fuisse statuerit (Symbolae litt. vol. V, p. 34). Atque idem obiecisse sufficiat vanae eorum, qui de aedibus alimentariis fabulati sunt, opinioni, cuius quin Rattius sectator sit, nemo dubitabit, qui hominis paullulum cognoverit ingenium. Quamquam iam a Sartio (Cupra montana p. 26) illa sententia explosa est, hac inscriptione niso, quam Assisii mea caussa exscripsit Mommsenius:

Digitized by Google

C. ALFIO . C. FIL
SER . CLEMENTI
MAXIMO . IIII. VIR. ID
AEDILI . Q. PECVNIARVM
PVBLICAR. Q. ALIMENTOR
PVERI . ET . PVELLAE . QVI . EX
LIBERALITATE . SACRATIS
SIMI . PRINCIPIS . ALIMENT
ACCIPIVNT . CONSENSV
PARENTIVM . EXAERE
CONLATO
C. L. D

(Mur. 469, 9; correctius Marin. Arv. p. 21), in quo titulo ne notissimam quidem formulam *ex aere conlato* Rattius recte intellexit. Praeterea luculentissima exstant testimonia, quibus alimentarios pueros apud parentes mansisse, his alimenta, sive frumentum sive pecunia erat, ad illos alendos data esse. In sententiis enim et epistolis D. Hadriani (§. 12, p. 208. 209 ed. Bonn.) de muliere quadam et viro legimus litigantibus, utri ex iis debeatur ἐπίδοσις pueri cuiusdam, quem uterque filium suum legitimum esse praedicabant, cum mulier cum illo viro iustas nuptias sibi factas esse negaret. Ex quibus verbis quamquam valde corruptis hoc saltem eruere posse mihi videor, si non de ipsis alimentis, de re saltem simili sermonem in iis esse; ἐπίδοσις enim a Dositheo sive quis alius est, congiarium vertitur (—nam opus, quod nobis reliquum est, Graece ab origine conscriptum esse videtur—); recte sane, cum Romae, ni fallor, res narrata evenisse credenda sit, praesertim quod de Hadriani sententia agitur. Romae autem, ubi plebi frumentariae pueros alimentarios adscriptos fuisse vidimus, congiarium his quoque distribuebatur (cf. §. IV.). Utut est, constat ex hac quoque narratione parentibus puerorum

Digitized by Google

data esse, quae pueris publice praestabantur; sin parentibus carebant, tutoribus, id quod ex aliis eiusdem libri verbis consequitur (§. 12, p. 209); queritur ibi mulier quaedam *περὶ φροντιστοῦ υἱοῦ αὐτῆς, ὃς αὐτῷ τριετίαν οὐ παρεσχήκει τροφεῖα, καὶ σήμερον τὴν ἐπίδοσιν αὐτοῦ ἀφήρηκεν*, *qui ei triennium non praestiterit alimenta et hodie congiarium eius abstulit.* Licet alimenta fortasse ibi non sint publica, congiarium certe nisi publica largitio esse non potest.

VII. Pauca dicenda de aetate eorum, ad quos alimenta pertinebant. Invenies enim, ut Rattium praetermittam (p. 395), etiam apud de Lama (p. 29, 3), pueris tantum novem annorum ea concessa esse, quam sententiam Capitolini in vita Pertinacis testimonio confirmare studet, qui nihil usquam eiusmodi dixit; quare vereor, ne verba quaedam, de quibus postea disserendum erit, male ita vir doctus interpretatus sit, nisi potius traditionem secutus ab alio quodam tabulae Veleiatis interprete bona fide errorem illum adoptasse credendus est. Refragantur enim et inscriptiones, quibus *frumentum publicum* accepisse, ut alias omittam, Faustiniana illa sex annorum puella dicitur (Or. 3365), et nummi; nam saepe in iis infantes, etiam qui ulnis gestantur, figuratos conspicimus. Fruebantur autem alimentorum perceptione, posteriore certe tempore, pueri usque ad decimum octavum, puellae usque ad quartum decimum annum. Ita Hadrianus constituit, Alexander confirmavit (Ulpian. Dig. XXXIV, 1, 14). Cum igitur in Tarricinensi titulo toties laudato pueris usque ad sextum decimum annum alimenta legentur, ante illam Hadriani legem id monumentum positum esse cum Burghesio censeo (Bull. 1839, p. 155). Quemadmodum vero, qui frumentationibus in Urbe gaudebant, tribui alicui adscripti esse debebant, ita ut *tessera* nonnunquam pro *tribu* nuncupetur (Mommsen, tribus p. 197), eodem modo, ut

alimentarii ingenui essent, semper fere cautum erat. *Ingenuorum* quinque millia conquisivit Traianus (Plin. paneg. 28); Plinius *in alimenta ingenuorum* Comensibus quingenta donavit (cf. ep. VII, 18), trecenta reliquit (cf. inscr. ante allatam, §. II); eodem enim redire videtur quod ibi dicitur *in alimenta puerorum et puellarum plebis urbanae*. *Coloni* denique dicuntur, quibus Caelia Macrina alimenta legat. Libertinorum, qui proprie ex iure Romano oppositi ingenuis sunt, nulla mentio, nisi ex eo, quod Faustinianae illi Sextiae INGenua adiungitur, inter Faustinianas haud ingenuas quoque admissas esse consequitur, ita ut classem fortasse inferiorem hae effecerint. Simili ratione in tabula Veleiate *legitimi* separantur a *spuriis*, quorum tamen inter trecentos alimentarios duo tantum admittuntur. Cum vero libertinorum liberi pro civibus essent, ex quo a tribuno Terentio Culleone ad ingenuorum censum admissi essent (cf. Walter, historia iuris Romani p.122), rarius pueri libertini alimentis egebant, quippe qui ab eo, qui eos manu miserat, sustentari possent.

Ut ingenuorum, ita quoque puerorum potissimum in instituendis alimentis cura gesta est; nam triginta tantum sex puellae trecentos inter alimentarios Veleiatium reperiuntur. De qua re, qui paullulum antiquorum hominum cognoverit indoles atque ingenia, minime mirabitur. *Alimentis tuis ad stipendia tua perveniunt; subsidium bellorum, ornamentum pacis aluntur; ex his castra, ex his tribus replebuntur, ex his quandoque nascentur, quibus alimentis opus non est.* His verbis Plinii (Paneg. 26, 28) institutionis alimentariae totum continetur consilium. Quamquam enim minime in animo mihi est negare beneficam fuisse principum, qui eius curam gesserunt, indolem, rationem tamen, ut ita dicam, politicam primas in ea re partes tenuisse persuasum habeo. Cum enim in annos magis civium in Italia numerus diminueretur, ante omnia studendum erat, ut ei perniciei obveniretur. Hinc agro-

rum distributiones Nervae, Pertinacis; hinc institutiones alimentariae. *Nam frustra,* idem Plinius ait, *proceres princeps, plebe neglecta, ut defectum corpore caput nutaturumque instabili pondere tuetur; pauperibus* autem *educandis una ratio est, bonus princeps. Hic fiducia sua procreatos, nisi larga manu fovet, auget, amplectitur, occasum imperii, occasum reipublicae accelerat.*

VIII. Iam vero tempus est, ut de rei alimentariae administratione agamus. Huic in singulis Italiae oppidis peculiaris quidam magistratus praeerat, cuius cum scriptores nullam mentionem faciant, in monumentis frequens commemoratio est. Nomen ei erat *quaestori alimentorum* vel *pecuniae* sive *arcae alimentariae* (1). Quem municipali

(1) Quaestores alimentorum, qui mihi quidem in lapidibus innotuerunt, hic proponere liceat: L. Acutius Primus Grut. 341, 12;—C. Alfius Clemens Maximus, Or. 3366=Murat. 469,9, correctius Mar. Arv. 21;—T. Ancharius Priscus Grut. 352,1;—M. Antonius Severus Mur. 1066, 2;—Ti. Cl. Maximus Fabr. p. 61, 357=Reines. VI,24;—C. Caelius Verus Grut. 394, 3=Doni cl. V, 137=Mur. 332, 2;—Cn. Copellius. . . . Grut. 395, 1=Mur. 1062, 8=Doni cl. V,83;—C. Cornelius. . . . Grut. 1105,11;—M. Cornelius Iustus Acutianus Grut. 397,2;—L. Fufidius Proculus Mur. 705,1;—C. Mamercius Ianuarius Mur. 716, 4=Lupul. It. Venus 59, 11=Guarini, alcuni nuovi monumenti eclanesi p. 6, qui legit Q. AED. PRAET. IIVIR; vereor ne rectius Muratorius et Lupulus scripserint, cum frequentes in municipiis *praefecti*, rari *praetores* sint;—C. Memmius Marianus Grut. 1097,3; correctius ex cod. Rigapiano Blanchius n. XIIII.—S. Minius Silvanus Guarinius, tituli Allifani, Calatini, Saepinates, Velletri, 1839;—C. Mutteius Severus Grut. 440, 6=Murat. 520, 4=Doni V, 17=Olivieri, Marm. Pisaur. 38;—C. Oppius Pallas Donat. p. 259, 1=Doni V,40 =Gud. 134, 2=Reines. VI, 73;—L. Pompeius Felicissimus Mar. Arv. p. 390;—T. Pompulenus Mur. 1067, 2;—L. Pullius Iustus Fabr. p. 713, 344;—P. Servilius Aprilis Grut. 59, 6= Mur. 1104, 5=Doni.1, 169, qui omnes scribunt Q. R. P. O*(stiensis)*, cum sine dubio legendum sit Q*(uaestor)*;—Q. Statius Syrus. Mur. p. 747, 1;—C. Herbacius Grut. 418, 6;—N. Tettius Rufus Gr. 451,5=Fabr. p. 676, 28;—D. Valerius Proculus Giornale Arcadico 1832, mensis September p. 324;—P. Vegellius Primus Mur. 652,2=Orell. 4101;—Veiedius Crescens Vermiglioli, opusc. II. p. 45. Quibus accedunt quem antea (11) laudavi, C. Iulius Severus *quaest. alim. Caes.* et ignotus quidam apud Cardinalium, diplomi n. 46.

tantum magistratu functum esse, licet cum Faliscorum Iulio Severo proprie *quaestor alimentorum Caesaris* dicendus esset, luce clarius demonstrant Aruatium, Anagninorum, Amerinorum, Industriensium tituli quidam, quibus alimentariam quaesturam cum aerarii arcae publicae administratione nonnunquam coniunctam fuisse cognoscimus. Veiedius enim Crescens Q . REI . P . ET . ALIMEN . ARNAT dicitur (Vermigl. opusc. II, p. 45), L. Cominius Firmus Anagninus Q . AER . ET . ALIM (Grut. 394, 8), L. Casurius Speculator Amerinus Q . ARC . PVB . ET . PEC . ALIMENTAR (Grut. 1092, 7; cf. 386, 4), L. Pompeius Herennianus Industriensis Q . AER . P . ET . ALIM (Maffei, M. V. 230=Donat. 235, 1; 338, 7,=Ricolvi e Rivantello, sito dell'antica città d'Industria p. 2). Quominus vero tibi persuadeas, talibus in municipiis alimenta non esse imperatoris largitionibus donata, sed privata potius liberalitate praestita, ipso impediris Anagninorum exemplo, quos alio tempore quaesturam alimentariam seiunctam habuisse ab administratione *aerarii arcae publicae* insigni titulo P. Vegellii Primi, qui prope templum cathedrale Anagninum etiamnunc exstat, satis comprobatur (Mur. p. 652, 2; Or. 4101; de Magistris, Istoria della città e s. basilica cattedrale d'Anagni, Roma 1749, 4). Quaestura autem arcae sive aerarii publici quin munus municipale sit, nemo dubitabit; cum igitur cum ea alimentorum quaestura coniungi possit, etiam hanc municipalem fuisse necesse est. Accedit, quod inter magistratus aliorum mu-

—Tituli Veiedii illius primos versus ex apographo, quod Mommsenius mihi misit, ob varietatem quandam lectionum hic adiungo:

D M
VEIEDIO . L . F CLV
CRESCENTI . AED
II . VIR . I . D . Q . REI . P
ET . ALIMEN . (sic) ARNAT
V E I E D I V S *cet.*

nicipiorum alium saepe locum occupat alimentorum quaestura; qui cum primus quidem ad honores gradus sit apud Ariminenses (Grut. 1097, 3), Auximates (Donat. 259,1 =Doni V, 40=Gud. 134, 2=Reines. VI, 73), Brixienses (Grut. 344, 12), Calatinos (Grut. 59, 6=Mur. 1104, 5= Doni 1, 169), Faliscos (cf. II), Industrienses (Maff. M. V. 230), Nepesinos (Grut. 395, 1; cf. Doni V, 83, Mur. 1062, 8), Nolanos (Fabr. p. 61, 357=Reines. VI, 24), Ostienses (Mur. 1066, 2), Peltuvinates (Mur. 1067, 2), Tarentinos (1); ita ut per quaesturam rei publicae vel aerarii aut aedilitatem ad duumviratum demum iuri dicundo adscendat qui illam gessit: in aliis contra civitatibns perfunctus iam vel curatela operum publicorum (2) vel cura pecuniae publicae curaque frumenti (Grut 451, 5 =Fabr. 676, 28), deinde quaesturam alimentariam ac statim post duumviratum nanciscitur. Quid quod summis honoribus functos postea alimentorum curam suscepisse reperimus? Praetermissis L. Pompeio Suessulano *decurione et duumviro et quaestore alimentorum* (Marini, Arv. p. 390), iisque, qui rei publicae et alimentorum quaesturam simul gesserunt, Mamercius quidam Abellinas Q. AED. PRAEF. IIVIR. Q. ALIMENTORVM dicitur (Mur. 716, 4; Guarini l. c.), Ancharius Priscus AED. QVAEST. IIVIR. QVAEST. ALIMENT ignoti cuiusdam municipii (Grut. 352, 1), qui quando illo munere ornati fuerint, satis elucet. His equidem D. Valerium Nomentanum adiunxerim, cuius inscriptionem, cum in Arcadnm tantum actis (Sept. 1832, p. 324) legatur, hic denuo propono:

(1) Mur. 705, 1. ubi L. Fufidius EQ. ROM. QVAEST. ALIMENT simpliciter dicitur, ita ut soio ilio munere functus esse debeat; cf. Fabr. p. 713, 344 et Grut. 394, 3=Doni V, 137=Mur. 332, 2.

(2) Grut. 397, 2; cf. Mur. 747, 2, ubi qui primo aediiitatem gesserat, tum quaesturam aiimentorum, post hanc vero per quaesturam municipii ad *praef. iur. dic.* pervenit.

D . VALERIVS . D . F . COR
PROCVLVS . AEDIL . DICTATOR
QVAEST . ALIMENTORVM
HYDRAEVM . GEMMIS . EX
ORNATVM . ET . AVRATVM
VNA CVM VALERIA FORTV
NATA ET VALERIA PROCVLA
ISIDI . ET . SERAPI
D . D

Dictaturam enim summum honorem Nomenti fuisse ac post aedilitatem tantum gerendum praeter Amatium editorem nemo facile, qui ceteras dictatorum municipalium inscriptiones noverit, infitias ibit. Quae cum ita sint, hisce in civitatibus quaesturam alimentariam minime in magistratuum numero collocandam esse dixerim, sed viris summo honore functis summaque propterea fide dignis ea fere ratione mandatam, qua in nostris quoque liberis civitatibus multarum rerum administratio honoris publicique beneficii caussa suscipitur. Cum vero in iis, de quibus antea locuti sumus, municipiis ratio plane diversa obtinuerit, hoc saltem constare videtur liberam ab imperatore municipiis potestatem datam esse rei alimentariae administrationem per eos magistratus instituendi, per quos ipsis placebat, ita ut aut novos ei praeponerent, aut alii muneri illam adiungerent, illis vero diversum plane in honoribus civilibus locum assignarent. Quam sententiam prae ceteris earum civitatum inscriptiones comprobant, quarum magistratus alimentarii ne quaestores quidem appellantur. Exstat e. g. in Museo lapidario Vaticano hic titulus:

E . ACASTO AED SPECVLATORI
ET PEC . ALIMENTARIAE
T . DIDIVS NEPOS ET
R . MANLIVS AMICO OPTIMO
ET KARISSIMO
M . P

parvulo inscalptus sarcophago, litteris haud quidem pulchris, sed ita incisis, ut de earum formis dubius esse non possis, exceptis fortasse primi et quarti versus litteris primis, quarum E insolita esse videtur nota litterarum FL, R manifestum est scalpri mendum pro P. In hac enim inscriptione, quamvis magnam praebeant difficultatem voces AED SPECVLATORI, cum *speculatores* in re tantum bellica noti sint, haud duble *aedilem pecuniae alimentariae* cognoscimus, cuius quidem alterum exemplum mihi ignoratur, similem autem rationem *aedilis annonae* Caeretanus in Vesbini titulo (Grut. 214) exhibere mihi videtur. Docet praeterea particula ET alimentorum curam in illo quoque municipio ignoto aedilitati adiunctam fuisse. In aliis porro civitatibus quaestorum loco *alimentorum distribuendorum* vel *pecuniae rei publicae alimentariae curatorem* invenimus, cui et ipsi modo ante duumviratum, modo post cura eorum mandari solebat. Nisi potius in illis municipiis sine imperatorum liberalitate, sola civium munificentia alimenta publica instituta fuisse posueris; nam altera ambarum, quae curatorem exhibent, inscriptionum (1) ad Africae oppidum Curubis pertinet, de qua antea vidimus (§. II), in altera vero in-

(1) Or. 2155=Fabr. p. 368, 130 (minus correcte Grut. 435, 8) et Maff. M. V. 463, 3=Donat. 346, 6=Or. 530.—Titulum Amerinum Grut. 1105, 11 huc pertinere non credo, quia lacuna nimis magna, quo minus RAT ad *arc. alim.* trahatur, impedit; praeterea apud Amerinos quaestorem alimentorum fuisse aliunde constat.

solita expressione pecuniae *rei publicae* alimentariae haud scio an municipalis potius, quam imperatoria munificentia designetur, praesertim cum *Caesaris alimenta* quoque in Faliscorum titulo reppererimus (§. II), quae contrarium mihi quidem significare videntur. Quaestores autem sive qui alii in municipiis alimentorum curam gerebant, adiuti erant servorum publicorum ope, quorum *vilicus ab alimentis* titulo Urbinate nobis notus est (Grut. 1033, 9= Doni VII, 12), *actor ali*(mentorum) in inscriptione Auximate exstat (Grut. 622, 8 et 812, 7). Hoc ipsum vero *actoris* munus suo iure Gervasius proposuit titulo quodam Sipontino indicatum esse, in quo ita legitur (Gervasius, sopra una iscrizione Sipontina, Napoli 1837):

DMS
LIBERALIS COL
COL SIP SER ARCKAR
QVI ET ANTE EGIT RATIONEM
ALIMENTARIAM SVB CVRA
PRAEFECTOR ANNIS XXXII
VIVOS SIBI FICERAT DEDIT AVGVRINO *(sic)*
REIP SER VERNAE MESORI FILIO SVO KARISSIMO
QVI VIX ANN XXIII M VI D X (1)

(1) Credidit tamen cl. editor servum illum publicum in colonia Sipontina ita alimentis praefuisse, ut, nullius magistratus municipalis auctoritati subditus, sub auspiciis praefectorum imperatoris ea administraverit (p. 28). De qua re, collatis ceteris inscriptionibus, quae ad alimentorum administrationem, ut ita dicam, municipalem pertinent, valde equidem dubito, cum quaestorem alimentorum Siponti quoque fuisse multo mihi probabilius sit, *sub cura praefectorum* autem ita adiunctum mihi esse videatur, ut summus iis verbis rei alimentariae magistratus indicentur, nisi forte ipsum magistratum municipalem, qui plerumque quaestor, rarius aedilis et curator appellabatur, Siponti nomine praefecti ornatum fuisse censueris? Quae vero de *praefectis alimentorum per vias* post certum quoddam tempus sublatis ex titulo Sipontino vir doctus argumentatus est, iis refelluntur, quae de ipsis praefectis mox proponentur (§. XI. XII).

IX. Quaestores deinde sub cura erant aliorum quorundam magistratuum, qui *procuratores alimentorum (ad alimenta, ab alimentis)* vel *alimoniae* appellabantur (1). Quos imperator ipse constituit; id quod praeter M. Porcium Aprum *proc.* AVGVST. *ab alimentis* (Grut. 457, 10) ipsa demonstrat series munerum, quibus vel ante vel postea functi sunt. Alii enim militaria officia usque ad tribunatum vel fabrum praefecturam gesserunt, alii aliis procurationibus vel praepositi fuerant vel postea praeponebantur; illorum e. g., quem modo laudavi, Porcius Aper, horum Catius Alcimus Felicianus, L. Didius Marinus, T. Flavius Germanus. Hinc satis iam appareret ex equitibus Romanis eos desumptos fuisse, etiamsi Q. Valerio Postimio Romulo procuratori ad alimenta non adiunctum esset EQVO PVBLICO (Grut. 458, 7).—Praeerant procuratores totarum regionum alimentis, earumque, ut ita dicam, regionum alimentariarum plures nobis innotuerunt. Novimus *procuratores alimentorum per Transpadum, Histriam et Liburniam* (Grut. 402, 4; Maff. M. V. 462, 2 =Kellerm. p. 14=Donat. 340, 1), *ad alimenta Bruttii, Calabriae et Apuliae* (Grut. 411, 1), *alimentorum* denique *viae Flaminiae* (Mur. 756, 4=Avell. opusc. II, p. 137), ac, cum *procuratio* quoque *privatarum per Salariam, Tiburtinam, Valeriam, Tusciam* (Maff. Kellerm. Donat ll. ll.) nota sit, maxime probabile est, procuratoribus quoque alimentorum in universum regiones secundum magnas Italiae vias, ubi fieri poterat, designatas fuisse (2). Cui

(1) Catius Alcimus Felicianus Kellerm. Vig. p. 14=Maff. M. V. 462, 2=Donat. 340, 1; L. Didius Marinus Grut. 402, 4=Donat. 579; T. Flavius Germanus Grut. 411, 1; Ti. Naevius Firmus Mur. 2024, 1; M. Porcius Aper Gr. 457, 10; Q. Val. Postimius Romulus Gr. 458, 7; M. Veserius Iucundianus Mur. 756, 4=Avellino, opusc. II, p. 137=Or. 3814.

(2) Aliis quoque similibus magistratibus secundum vias attributas fuisse Italiae regiones, cum alibi provinciis praeessent, praeter privatarum procurationem fidem facit *praef. vehicul. a. copis. Aug. per. viam. Flaminiam.* (Or. 2648=Mur. 1024. 4=Guasco 1, 105=Mar.

rei magnum afferet veritatis argumentum alimentorum, qualis posteriore aetate fuit, quam mox videbimus, administratio.

X. Ut vero praefectus aerarii militaris procuratoribus vigesimae hereditatium praepositus erat, ita alimentorum quoque procuratores per Italiae regiones sparsos sub auspiciis summi cuiusdam magistratus fuisse, cui et ipsi *alimentorum praefecto* nomen fortasse fuerit, maxima, qua solet, et doctrina et sagacitate in actis menstruis Instituti archaeologici nuper probavit Burghesius (1844, p. 125 sqq.), primos eo munere functos esse statuens, per quos Veleiae obligationes factas esse scimus (1), Pomponium Bassum et Cornelium Gallicanum; quae sententia, de Pomponio, tabula potissimum aenea confirmatur, qua ut in clientelam municipium suum recipiat, a Ferentinatibus rogatur. In ea enim *demandatam* ei fuisse legimus *curam ab indulgentissimo Imperatore Caesare Nerva Traiano Augusto Germanico, qua aeternitati Italiae suae prospexit* (2). Quibus verbis procurationem indicari non posse,

iscr. Alb. p. 143), cum *praef. vehiculor. per Gallias* vel *trium prov Gall Lugdunens Narbonens et Aquitanens* (Grut. 493, 3; 440, 3) alibi exstent. Quamquam ab ipsa muneris natura eius rei caussam repetere licet. Procuratorem praeterea *Aug. viae. Ost. et Camp.* huc pertinere credo (Grut. 374, 5=Romanelli topogr. II, p. 87=Or. 2570). Posteriore tempore frequentes in monumentis iuridici per Flaminiam (Or. 3174, 3177) vel Aemiliam (ib. 3044), consulares Aemiliae (ib. 1181, 3649), correctores Flaminiae (ib. 603, 1099), vel Aemiliae et Flaminiae (ib. 1087), quo tamen nomine tum pars tantum regionum indicatur, per quas viae illae ducebant.

(1) QVOD . POMPONIVS . BASSVS . OBLIGAVIT III, 53; OBLIGATIO . PRAEDIORVM . FACTA . PER . CORNELIVM . GALLICANVM VII fin.; QVOD . CORNELIVS . GALLICANVS . OBLIGAVIT II, 36; V, 38; 57; VII, 48.—QVAE . ANTE . CORNELIVS . GALLICANVS . ET . POMPONIVS . BASSVS . OBLIGAVERVNT III, 40; VII, 37.

(2) Grut. 456, 1=Or. 784. Iam Petrus de Lama in tabulae Veleiatis editione, Parmae 1819, p. 24, n. 2 ad alimenta spectare eam curatelam Pomponii recte intellexit, neque tamen eundem esse cognovit hunc cum illo, qui in tabula Veleiate commemoratur.

summus, quem modo laudavi, auctor ex eo consequi demonstravit, quod nummis inde ab anno 94 usque ad annum 99 consulari Cappadociae ac Galatiae legatione Pomponium ornatum fuisse constat, ita ut, qui consularis fuerit, equestrem procurationem sane non potuit in se suscipere. Cornelium autem Gallicanum quo minus procuratorem fuisse credas, eadem eius dignitate consulari prohiberis; quippe quem statim post legationem Galliae Lugdunensis, qua anno 83 functus erat, fasces gessisse Burghesius suspicetur (Bull. Inst. archaeol. l. c.).

XI. Atque haec quidem, qualis ab imperatore Traiano instituta erat, alimentorum administratio. Posteriore autem aetate pro procuratoribus PRAEFECTI quidam ALIMENTORVM lapidibus exhibentur, quos quo minus cum summo illo, quem ex Burghesii sententia modo statuimus, rei alimentariae praefecto confundamus, eo impedimur, quod ad certas quasdam Italiae regiones eorum magistratus pertinuit easque ipsas secundum vias iis attributas. Ita P. Mummius Sisenna Rutilianus PRAEF. ALIMENTOR. PER . AEMILIAM (Or. 3935), Balbinus Maximus PRAEF. ALIMENTOR. VIAE . FLAMINIAE (Marini Arv. p. 672), viri summis honoribus functi. Praeterea ipsam viarum tutelam cum alimentorum cura una commemoratam invenimus, sicut C. Valerius Gratus Sabinianus (1) *cur.* *Fl*AM. ET . ALIM dicitur (nam *cur.* neque *praef.* supplendum esse, sequentibus lapidibus demonstratur), Modestus Paulinus CVR. VIAR. TIB. VAL. ET . ALIM. (2), alius quidam, de quo paullo post exponendum erit, CVRATOR. VIAE . . . . . ET ALIMENTORVM (Maff. M. V. 449, 1); neque ipsos hos curatores viarum et alimentorum a praefectis alimentorum

(1) Burghesius, frammento di fasti sacerdotali, Memoriae Instituti archaeol. I, p. 290.

(2) De vera ac genuina huius inscriptionis lectione cf. Burghesium, memoria sopra il console L. Burbuleio p. 33. 34.

per vias diversos fuisse aliis rursus monumentis comprobatur, quibus Calpurnius Domitius Dexter CVR. VIAE . AE*m*. PR. ALIMENTOR (Bull. Inst. 1833 p. 64), Luxilius Sabinus Egnatius Proculus CVR. VIAR. ET . PRAEF. ALIM. CLODIAE . ET . COHERENT appellantur (Grut. 434, 1=Olivieri, Marm. Pisaur. XXXVI). Et hanc quidem solennem eorum denominationem fuisse necesse est, eadem ratione per compendium expressam, qua *curatores aedium sacrarum, locorum et operum publicorum tuendorum* modo *curatores operum publicorum*, modo *aedium sacrarum* dicebantur, *curatores* vero *alvei et riparum Tiberis et cloacarum Urbis* modo *cur. alv. Tib. et cloac. Urb.*, modo *curator. Tib. et rip.*, modo simpliciter *cur. alvei Tiberis*.

Omnes autem, quos citavimus, praefecti vel consulares fuerunt vel praetorii; quapropter dubitari non potest, quin suo iure Burghesius statuerit curatoribus magnarum octo viarum Italiae, quibus primus Augustus praetorios viros praeposuerat, tutelam quoque alimentorum, addito praefectorum nomine, demandatam esse (1). Neque vero ad solas illas Italiae vias sive praetorias sive consulares nova illa institutio pertinuit, sed omnibus alimentorum procuratoribus praefectorum nomen inde ab eo tempore inditum esse debet. Novimus enim L. Secundium Crescentem IIVIR. PRAEF. ALIMON. PROC. APVLIAE . ET . LVCAN (Guarini, Eclano 109; Lupul. It. Venus. 321, 14.), quem neque praetoriis illis viarum curatoribus neque magistratibus rursus municipalibus adiungi

(1) Burbul. p. 34.—Apud Donatium 246, 6 exstat titulus ex Annal. litt. Ital. t. II, p. 299 repetitus, qui effossus dicitur ex ruderibus Capuae antiquae. In quo ALIM. ET . AQVAR. cura coniungitur. Cum vero et *T. Caesar. Divi . f.*, cuius aetate nondum alimenta instituta erant, et *procos. Campaniae* in eo commemorentur, qui imperatorum tempore nunquam ei regioni praefuerunt, nisi spurius, certe pessime descriptus titulus est.

Digitized by Google

posse procuratio, qua functus est, Apuliae et Calabriae demonstrat. Quin vero et his alimentorum praefectis cura viarum in iis, quibus praeerant, regionibus mandata fuerit, vix mihi dubium, cum etiam extra Italiam propriam C. Veratium Italum Aquileiensem reperiam CVR. VIAR. PRAEF. ALIMENT (Marini, Arv. p. 159), qui munere illo functus legatus quidem provinciae Africae factus est, antea tamen praetor non fuerat, neque magnarum viarum curatoribus adnumerari potest. Accedit, quod non prorsus novam alimentorum cum viarum curatela coniunctionem fuisse alia testimonia declarant; in nonnullis certe regionibus iam procuratoribus alimentariis illud quoque officium fuisse ex titulo T. Naevii Firmi cognoscimus, qui PROC. ALIMON. CVRAT. VIAR nuncupatur (Murat. 2024, 1; Lupul. It. Venus. p. 321, 14); cui, si quidem verum est, quod Mommsenius libro suo de tribubus (p. 75) nuper suspicatus est, accensos velatos viarum cura occupatos fuisse, M. Veserium Iucundianum addere licet, qui ADCENSVS . VELATVS . PROC. ALIM. VIAE . FLAM appellatur (Mur. 756, 4=Grut. 485, 6= Avellino, opusc. II, p. 137), quamquam promotione potius ad hoc officium ille pervenisse putandus est.

Num, postquam in procuratorum locum praefecti alimentorum successerunt, summus ille praefectus alimentorum, quem monumento potissimum Pomponii Bassi adducti statuimus, in officio manserit, an eius quoque munus abrogatum sit, dubius esse possis. Quamquam hoc equidem cum Burghesio posuerim (Bull. 1844, p. 125 seq.). Praeterquam enim quod viros praetorios et consulares, quales erant viarum curatores, tamquam alimentorum praefectos sub auspiciis alius cuiusdam magistratus maioris fuisse parum mihi probabile; vix caussam veri similem excogitare possumus, propter quam alimentorum administrationem ita immutatam esse dicamus, si posteriore quoque aetate summum quendam praefectum ei

praefuisse admittimus. Fuit enim, ni fallor, novae institutionis ratio et consilium, ut in singulis Italiae regionibus alimentorum cura viris maiore auctoritate praeditis deferretur, quam procuratores fuerant, eodemque tempore simplicior redderetur eorum administratio. Ipsum praefectorum nomen maiorem eorum dignitatem declarat, etiamsi non sunt praetorii; quae autem maior illa fuerit auctoritas, remanente summo praefecto alimentario, haud intelligo. Quem si non amplius alimentis praefuisse concedimus, hoc quoque ex antiquis scriptoribus eruere licet, M. Aurelium imperatorem novae eius institutionis auctorem fuisse; id quod ipsa, quam laudavimus, de primis alimentorum praefectis dissertatione ostendit Burghesius, iis potissimum nisus, quae de Pertinacis vita nobis tradita sunt (Capitol. c. 2). Ei enim, cum post alae praefecturam in Moesia *alimentis dividendis in via Aemilia procurasset*, denuo, cum iam consul fuisset, post quattuor provincias consulares *alimentorum cura mandata est*. Quibus verbis summam illam alimentorum praefecturam designari non posse, facile intelliget, qui eam simul cum praefectis per singulas vias non constitisse concesserit; nam Pertinax quidem Commodi aetate illi magistratui praefuit, alios autem iam M. Aurelio imperante praefecturam alimentorum cum viarum cura coniunctam gessisse postmodum videbimus. Cum igitur Pertinax et procurator et praefectus alimentorum fuerit, quin eius tempore mutatio illa facta sit, non est dubium; qui cum sub M. Aurelio potissimum imperatore muneribus publicis functus sit, valde probabile, huic novam illam institutionem attribuendam esse. Accedunt alia testimonia, quibus confirmatur initio imperii M. Aurelii procuratores rei alimentariae nondum fuisse abrogatos. Videtur quidem Q. Val. Postimius PROC. AD . ALIMENTA . CONSILIARIVS . AVGG. (Grut. 458, 7) M. Aurelii et L. Veri aetate procuratione functus esse, cum ante hos duo Augusti non fuerint, con-

siliarii autem nomen in monumento eius statim post procurationem collocetur. Nec T. Flavii Germani *procuratio ad alimenta* (Grut. 411, 1) in alius dominationem facile incidere potest, cum CVRATOR postea fuerit TRIVMPHI . FELICISSIMI . GERMANICI . SECVNDI imperatoris cuiusdam, quem et nomen abrasum et ipse triumphus de Germanis secundus Commodum fuisse ostendunt. Itaque, cum M. Aurelio imperante et procuratores fuerint et praefecti, qui eodem tempore sane non fuerunt, ab eo hosce institutos esse certissimum; quem *de alimentis publicis multa prudenter invenisse* a Iulio Capitolino traditum accepimus. Annus autem, quo praefecti alimentorum per vias instituti fuerint, licet accurate definiri nequeat, ante annum tamen 925 (171) hoc factum esse constat. Duae enim inscriptiones exstant antiquae M. Aurelii imperium spectantes, quibus novae illius praefecturae mentio fit, monumenta videlicet Tiburtina P. Mummii Sisennae Rutiliani et Q. Pompeii Sosii Prisci, quae denuo hic adscripsi, cum illius inscriptio mutila, huius parum accurate descripta in thesauris epigraphicis legantur. Illius quidem partem principalem Burghesius, qui in Museo Florentino ipse eam exscripsit, mecum communicavit; sed desunt quae lateribus inscripta erant, cum anterior tantum basis pars Florentiae exstet. E Marinio (inscr. Alb. p. 149) cetera desumpta sunt.

Digitized by Google

P . MVMMIO . P . F . GAL . SI
SENNAE . RVTILIANO
COS . AVGVRI . PROCOS
PROVINC . ASIAE . LEGATO . AVG
PR . PR . MOESIAE . SVPERIORIS
PRAEF . ALIMENT . PER . AEMILIAM
PRAEF . AER . SATVRNI . LEG . LEG . VI
VICTRIC . PRAETORI . TR . PL . QVAEST
TRIB . LEG . V̄ . MACED . XVIRO . STLI
TIB . IVDIC . PATRONO . MVNICI
PII . CVR . FANI . H̄ . V̄ . SALIO . HER
CVLANII . AVGVSTALES
L . D . S . C

In latere dextro:

DEDICATA KAL IVN . MAXIMO
ET . ORFITO COS

In sinistro:

CURANTIBVS . P . RAGONIO . SATVR
NINO . ET . C . MANLIO . MARCIANO Q
ORDINIS AVGVSTALIVM TIBVRTIVM

(Grut. 1097, 7, Donius IV, 6, qui omittunt quae lateribus inscripta sunt). Alteram ad portam minorem templi maximi Tiburtini exscripsit Burghesius, recognovit nuper Brunnius:

Digitized by Google

Q . POMPEIO . Q . F . QVIR . SENECIONI .
ROSCIO . MVRENAE . COELIO . SEX .
IVLIO . FRONTINO . SILIO . DECIANO
C . IVLIO . EVRYCLI . HERCVLANEO . L
VIBVLLIO . PIO . AVGVSTANO . ALPINO
BELLICIO . SOLLERTI . IVLIO . APRO .
DVCENIO . PROCVLO . RVTILIANO .
RVFINO . SILIO . VALENTI . VALERIO .
NIGRO . CL . FVSCO . SAXAEVRYNTIANO
SOSIO . PRISCO . PONTIFICI . SODALI .
HADRIANALI . SODALI . ANTONINIANI
VERIANI . SALIO . COLLINO . QVAESTORI .
CANDIDATO . AVGG . LEGATO . PR. PR. ASIAE
PRAETORI . CONSVLI . PROCONSVLI . ASI
AE . SORTITO . PRAEFECTO . ALIMENTOR .
$\overline{\text{XX}}$ VIRO MONETALI . SEVIRO PRAEF
FERIARVM . LATINARVM . $\overline{\text{Q}}$ $\overline{\text{Q}}$. PATRONO
MVNICIPII . SALIO . CVRATORI . FANI . $\overline{\text{H}}$. $\overline{\text{V}}$
S . P . Q . T

(Or. 2761=Spon. Misc. p. 189=Gud. p. 136, 5=Vulpius Vet. Lat. profanum XVIII, p. 99=Cabral e del Re, Ville di Tivoli p. 216). Mirum quidem, quod Pompeius Sosins Priscus omissa et viae curatela et regione, cuius alimentis praeerat, simpliciter praefectus alimentorum dicitnr; unde facile credere aliquis potuerit praefectum eum fuisse primae institntionis, universae scilicet rei alimentariae. Consul autem fuit anno 922=169, praefectns alimentorum, id qnod ceterorum, quibus functus est, magistratnum consecutio satis declarat, post consulatum. Tempore deinde, quod consulatum inter et praefecturam est, Asiam pro consule administravit. Etiamsi igitur spatium quinque tantum annorum ab Augusto consulatum inter et provinciae consularis administrationem constitutum in eo

observatum esse dicimus, quippe qui brevi tempore ceteros quoque honores consecutus sit, cum quaestor M. Aurelio iam et L. Vero imperatoribus, consul autem nono eorum anno factus sit; non facile tamen ante annum 929 (=175) ad alimentorum praefecturam accedere potuit. Quo tempore novi illi praefecti iam constituti erant. Titulus enim P. Mummii dedicatus est *Maximo et Orfito cos*, i. e. anno 925 (=171); Mummius autem *praefectus* dicitur *alimentorum per Aemiliam*, quo munere licet ignoremus num ante, an post consulatum functus sit, hoc saltem constat, ante annum 925 hos praefectos institutos esse. Ceterum alium quendam praefectum alimentorum simpliciter dictum mox invenies. Credere fortasse licet, in ipsa regione curae horum virorum mandata monumenta posita fuisse; tum eodem modo nomen omissum est, quo in legatorum et proconsulum titulis provinciae saepe commemoratae non sunt, qua re opus certe non erat.

XII. Ex eo inde tempore paucissimae notitiae de alimentis apud antiquos reperiuntur, ita ut omnes fere recentioris aevi scriptores, qui de alimentis disputarunt, a Pertinace totam illam institutionem sublatam esse dixerint (1), male Iulii Capitolini verba interpretati (c. 9): *Alimentaria compendia, quae novem annorum ex instituto Traiani debebantur, obdurata verecundia sustulit.* Quibus verbis nihil aliud significatur, nisi per novem annos intermissam alimentorum perceptionem fuisse, Pertinacem vero in summa, qua tum Italia erat, calamitate residua, non ipsas obligationes, id quod ne verbis quidem citatis exprimitur, sustulisse. Tum vero actio illa, quam ipse iam Capitolinus male intellexisse videtur, universae Pertinacis agendi rationi optime convenit, quippe qui nihil magis studuerit, quam ut relevaret Italos misere afflictos;

(1) Murat. Symb. litt. vol. V, Florentiae 1749, p. 20; de Lama, tab. Vel. p. 32, quos quod Rattius secutus sit, nemo mirabitur.

πρῶτον μὲν γὰρ, Herodianus narrat (II, 4), πᾶσαν τήν τε Ἰταλίαν καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν ἀγεώργητόν τε καὶ παντόπασιν οὖσαν ἀργὸν ἐπέτρεψεν, ὁπόσην τις βούλεται καὶ δύναται, εἰ καὶ βασιλέως κτῆμα εἴη, καταλαμβάνειν, ἐπιμεληθέντι τε καὶ γεωργήσαντι δεσπότῃ εἶναι, ἔδωκέ τε γεωργοῦσιν ἀτέλειαν πάντων εἰς δέκα ἔτη καὶ διὰ παντὸς δεσποτείας ἀμεριμνίαν. Imperator autem benignus, cum ipse paucis ante annis alimentis praefuisset, quod ad hanc quoque partem animnm adverterit, facile intelligitur.

Ceterum, quamquam et ipse Muratorius inde ab illo tempore nusquam alimentorum mentionem fieri proposuit, diligenter inquirenti etiam post Pertinacem minime desunt alimentornm haud dubiae fidei documenta. Nescio quidem, num Severi et Caracallae rescriptum, quo *pecunia relicta ad alimenta puerorum Falcidiae subiiceretur*, publica potius, an privata alimenta spectaverit (Dig. ad L. Falc. XXXV, 2), quamquam hoc mihi quidem probabile; neque *puellae et pueri Mammaeanae et Mammaeani*, quos Alexander Severus instituit (Ael. Lamprid. 57), vetus Traiani institutum etiam tum floruisse comprobare valent. At, ubi tacent scriptores, loquuntur lapides, e quibus nonnulli alimentorum praefecti innotuerunt, quorum aetas certo definiri potest. Eornm nominibus cum tota posterioris aevi rei alimentariae historia contineatnr, ipsam praefectorum, qnos novimus, seriem hic proponamus necesse est.

Ac primo quidem loco P. Mummius Sisenna Rutilianus et Q. Pompeius Sosius Priscns collocandi snnt, de quibus satis iam disputavimus, consules alter ante annum 925, alter ipsius anni 922. Sequitur Commodo imperante Pertinax, quem circa annum 940 (=187) alimentis praefuisse dixerim; cnm enim, venia legationis Britannicae impetrata, eo munere functus sit, in Britanniam missus post Perennis mortem, qui anno 938 (=185) occisus est (Eckhel D. N. VII, 112), ante annum, quem di-

Digitized by Google

ximus, non facile eo honore ornari potuit. Neque multo post alimentis eum praefuisse credo, quippe qui proconsulatum postea Africae gesserit, quo autem tempore imperator factus est, praefectus Urbi fuerit. — Eadem fere aetate Didius Iulianus *curam alimentorum in Italia meruit* (Ael. Spart. 2.); id quod Commodo imperante factum esse ex hisce Spartiani verbis apparet: *tunc*, i. e. cum curatelam alimentorum gereret, *factus est reus per quendam Severum. . . . coniurationis cum Salvio contra Commodum.* Cum vero deinde Bithyniam provinciam rexerit, post Pertinaci in Africa successor datus sit, haud scio, an potius iam ante Pertinacis eius collocanda sit praefectura. Circa aetatem Severi et Caracallae Maecius Probus vixit, qui simpliciter quidem dicitur *praef. alim* (Or. 1267 ex Münter, Sendschreiben über einige Sardische Idole p. 15), huic tamen praefectorum classi addendus est, cum consulatum gesserit. Ex Burghesii certe sententia idem est, qui COS. LEG. AVGG. PR. PR. in alia inscriptione dicitur (Fenestris, Inscr. Catal. p. 153) et legatus Hispaniae Tarraconensis mortuus est. Ad eundem legatum Hispaniae missum est rescriptum imperatorum Severi et Caracallae (Dig. XLVIII, tit. 22). Quod via, cui praefuit, non commemoratur, nemo mirabitur, qui Sosii Prisci monumentum in mentem sibi revocaverit.

Ad Elagabali imperium spectat inscriptio, quam, cum fastorum sacerdotalium fragmentum in Memoriis Instituti archaeologici (I. p. 290) ederet, publici iuris Burghesius fecit, a liberto quodam Augusti, qui et ipse in re alimentaria munere quodam inferiore fungebatur, in honorem posita C. Valerii Grati Sabiniani, consulis ordinarii anni 974 (=221), qui ante iam Flaminiae et alimentorum curator fuerat. Ser. deinde Calpurnium Domitium Dextrum consulem anni 978 (=225) sub Alexandro habemus, CVR. VIAE *Aem* PR ALIMENTORVM (Bull. Inst. 1833, p. 64=Cardinali, Diplomi n. 629), Gordiani vero aetate

C. Luxilium Sabinum Egnatium, cuius inscriptionem, cum minus correcte a Grutero edita sit (434, 1; cf. Olivieri, Marm. Pis. XXXVI), in hortis Iuliis Pisaurensium mihi exscriptam denuo hic proferre liceat:

C. LVXILIO . C . F . POMPT
SABINO . EGNATIO
PROCVLO . C. V. CVR . RER
PVBLICAR . PISAVR . ET . FANEST
LEG . LEG . X . GEM . GORDIAN
IVR . REG . TRANSPAD . CVR .
VIAR . ET . PRAEF . ALIMENT .
CLODIAE . ET . COHERENT .
LEG . PROV . ACHAIAE . PRAET .
AEDILI CERIALI . QVAEST .
PR . PR . PROV . CRETAE CYR
TRIB . LATICL . LEG . IIII . FLAV
PATRONO COLONIARVM
PISAVR . ET . FANEST

Praefectus alimentorum viae Flaminiae fuit, qui fasces gessit cum ipso Volusiano Augusto anno 1006 (=253), Balbinus Maximus (Mur. 357, 3=Marini, Arv. p. 672= Or. 3151; cf. Burghes. Burbul. p. 33), neque ad aetatem valde antiquam pertinere potest Modestus Paulinus CVR . VIAR . TIB . VAL . ET . ALIM (Gud. 134, 5 = Spon. Misc. 190, 1=Murat. 1057, 2=Annales Inst. VI, p. 122; correctius Reines. VI, 114; cf. Burghesium, Burb. p. 33), quod PRAETOR dicitur EODEMQ . TEMPORE PRAETOR HETRVR . XV . POPVL; ad posteriorem enim imperatorum aetatem relegandus est usus, quo muneribus pluribus unus vir praeponebatur. Accedit denique, quod Lugduni Batavorum adhuc asservatur, fragmentum insigne multis iam editum (Grut. 1054, 3=Fabr. 730, 448= Maff. M. V. p. 449, 1=Lupul. It. Venus. p. 112, 13.):

Digitized by Google

RIO CVRATORI . VIAE	PROCOS . PROV . AFRI
ET . ALIMENTORVM .	COS . AQVARVM . ET . M
I . PVBLICAE . AECLANENSIVM	ELECTO . AD . IVDICAND . SACR
RICVLANORVM .	RECTORI . ITALIAE . REG . TRA
OVINCIAE . ASIAE	CVRATORI . COLONIARVM . SPL
ARIO . Q . K . FLAMINI .	LVGDVNENSIVM . CAM
	CALENOR . XII . VIR . ROM

Sola iam correctorum mentione non ante Diocletianum hanc inscriptionem positam esse satis evincitur; in lapidibus certe ante eum imperatorem correctores non exstare docet ipse Burghesius (Cavedoni, antichi marmi Modenesi p. 291), ac facile sane fieri potuit, ut Trebellius Pollio et si quis alius Tetricum ab Aureliano correctorem totius Italiae factum esse narrat, suae aetatis nomen in tempora priora transferret (1). Ipsa vero virorum, quos inscriptio spectat, nomina summo illi viro e monumentorum reliquiis eruere contigit, quae interroganti mihi, quemnam in fastis consularibus locum fragmento huic assignaverit, summa, qua semper liberalitate est, indicare non dubitavit. Conferenti enim titulum hunc (Grut. 459, 7 =Fabr. p. 208, 516 et 700, 218):

(1) Haud ignoro ab aliis iam ante Aurelianum correctores institutos esse contendi (cf. Walter, historia iuris Romani p. 304); cum vero nulla eius rei exstent testimonia praeter Tetrici, quod attulimus, exemplum, Diocletianum, qui multas in imperio res novas instituit totamque, quam Constantinus perfecit ac consummavit, imperii constitutionem magna ex parte iam paravit, correctorum quoque dignitatem instituisse maxime mihi probabile.

T . FL . POSTVMIO . TITIANO . V . C . COS
PROCOS . PROV . AFRICAE
CVR . AQVARVM . ET . MINICIAE
CORR . CAMPANIAE
CORR . ITALIAE . TRANSPADANAE
COGNOSCENTI . VICE . SACRA
P . K . PONTIFICI . DEI . SOLIS
AVGVRI . ORATORI . PRONEPOTI . ET . SEC
TATORI . M . POSTVMI . FESTI . ORAT
T . AELIVS . POEMENIVS . V . E . SVFFRAGIO . EIVS
AD . PROC . AQVARVM . PROMOTVS
PATRONO . PRAESTANTISSIMO

cum altera fragmenti parte, de eodem viro in utraque inscriptione sermonem esse facile constat; nam eadem prorsus ibi munera enumerantur, ita ut ad Fl. Postumium Titianum eam partem spectare nemo negare possit. Exstat alius quidam titulus (Maff. M. V. p. 289, 5=Donat. 261, 4):

. . . .
ORATORE . MIRAQVE FACVND
MAXIMVM . PROCOS . ASIAE . DESTINAT
VIIVIRVM . FLAM . VENERABILIS
MEMORIAE . VIRVM
T . FL . POSTVMIVS . VARVS . COS
PRONEPOS . SECTATOR
EIVS

Quae verba si cum inscriptione modo allata comparaveris, eum, cui hoc monumentum erectum est, eundem fuisse concedes cum M. Postumio Festo, qui in illa commemoratur, T. autem Fl. Postumium Varum fratrem fuisse Postumii Titiani, cum uterque illius pronepos dicatur.

Digitized by Google

Cum autem valde veri simile sit, duas illas inscriptiones una tabula coniunctas duobus fratribus positas esse, alteram autem earum Postumio Titiano dedicatam fuisse exposuerimus; alteram sequitur spectare T. Fl. Postumium Varum. Quapropter alimentorum praefectis eum adiungere minime dubito. Ipsius quidem consulatus certo definiri nequit; Fea tamen, cum aliud eius monumentum publici iuris faceret (Giorn. Arcad. XLIV, 132, Aug. 1829 p. 337),

D M
T . FLA . POSTVMIVS . VARVS . V . C . COS . ORATOR
AVG . XV . VIR . PRAEF . VRB . VIXI BEATVS DIIS
AMICIS LITERIS
MANES COLAMVS . NAMQVE OPERTIS MANIB . DIVINI
VIS EST AETERNI TEMPORIS

praefectum Urbi anno 271 p. Chr. eum fuisse statuit. Frater vero, qui fasces bis gessit, altero consulatu anno 1054 (301) functus est. Circa Diocletiani igitur aetatem alimentorum cura nondum interiit.

Hic quidem ultimus, qui nobis notus est, alimentorum praefectus, atque ultima, ni fallor, certa de alimentis notitia; nam quaestorem quendam alimentorum Sex. Minium Silvanum, quem Guarinius Constantini aetate vixisse contendit, nemo certe mihi obiecerit, qui diversa duo eius tituli apographa, quae vir ille cl. divulgavit (Tauras. p. 6; tituli nonnulli Allifani, Calatini, Saepinates. Velletri 1839; cf. §. XIII), inter se comparaverit. Nimis enim incertum, utra lectio vera sit atque genuina. Quin, si re vera legendum esset SAC . P . ALIM, minime hoc argumentum sufficiens, quo ad Constantini aetatem titulus relegari debeat. Ex eo enim tempore, quo imperatores *sacratissimi principes* dicebantur, id quod primus Domitianus instituit, eorumque familia *domus divina* appellabatur, omnia,

Google

quae ad imperatores spectabant, *sacra* erant. Praeterea tribus in inscriptione adnotatur una cum praenomine patrisque indicatione. Cum autem post Caracallam raro tribus commemoretur, nullum sibi notum esse exemplum post Diocletiani aetatem Burghesius me docuit, quo tres illae notae coniunctae exstent. In monumentis certe consularibus ultimam inscriptionem, qua tribus mentio fiat, titulum esse L. Petronii L. f. Sab. Tauri Volusiani, cos. 262 (Or. 3100), ultimam autem, qua notae genealogicae ex more antiquo additae sint, basem quandam anno 282 P. Aelio P. f. L. n. Aeliano Archelao Marco positam (Pellegrini, apparat. ad antiquitt. Capuae I, p. 183). Quae cum ita sint, parum sane probabilis Guarinii de tempore inscriptionis opinio (1).

Cum vero in codice Theodosiano lex inveniatur a Constantino anno 315 data, qua magistratibus praecipitur, *ut, si quis parens afferat subolem, quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis nec in veste impertienda tardetur, ... ad quam rem et fiscus et res privata imperatoris* indiscreta iubentur praebere obsequia (Cod. Theod. XI, 27, 1), quae lex ut *aereis tabulis vel cerussatis aut linteis mappis scripta per omnes civitates Italiae proponatur*, imperator praescribit; equidem haud diiudicaverim, num alimenta publica a Traiano instituta eo tempore iam non constiterint, Constantinus vero nova prorsus quaedam

(1) Verum quidem est *defensorem rei publicae* dici Minium illum Silvanum, unde, Gothofredum secutus (ad Cod. Theod. XIII, 1, 1), post Valentem et Valentinianum inscriptionem illius positam esse coniicere possis. At Constantinus *defensor Urbis Romae* dicitur (Or. 1083), et *Calpurnianus flamen Divi Iulii et defensor rei publicae Brixianorum* (Or. 3909) certe ante Tacitum imperatorem vixit, si hic, sublato peculiari imperatorum cultu, re vera unum omnium communem instituit. Obstat praeterea, quod et Minio et Casurio Speculatori (Gr. 1092, 7 =386, 4) et Poblicio illi Calpurniano tribus et praenominis et patris nota adiungitur. Haec de defensorum aetate inquirenti respondit mihi Burghesius.

Digitized by Google

instituerit (1). Ita enim factum esse potest, ut Constantini aetate consisterent quidem alimenta publica Traiani, neque vero sufficerent ad propellendam miseriem magis in annos ingruescentem; unde imperator fiscum et rem privatam, ubicunque deficerent alimenta, pauperibus auxilio venire iussit. De alimentorum magistratibus nihil constat, cum nulla eorum eo tempore monumenta exstent (2).

(1) Ceterum per alias quoque provincias imperatorem illnm beneficnm liberalitatem alimentariam extendisse Africae exemplum docet; cf. Cod. Theod. XI, 27, 2.

(2) Amatins (Arcad. Act. LVI, Sept. 1832 p. 329) Constantii aetate magistratnm quendam repperisse sibi visns est, qnem CORR*ectorem* MI*niciae* ET AL*imentorum* fuisse dixit. Nescio equidem, quae genuina eius versus lectio sit, cum vir cl. Avellinus hoc tantum, quantnm equidem scio, publice proposnerit falsissima esse, qnae adhuc ibi lecta sint, veram autem lectionem non addiderit (ragguaglio de'lavori della Società Ercolanese del 1834): hoc scio, mira confusione Amatinm (l. l.) de re alimentaria disputasse, qnippe qui res diversissimas, alimenta, annonam, frumentationes, pro una eademque habuerit. Miniciae enim cnra postero tempore cum aquarum cnratela coniuncta (Marini, Arv. p. 801) minime ad alimenta, sed ad Urbicas frumentationes pertinebat, einsque antea procnrator (Or. 516=Mur. 686, 6=1096, 3=Gr. 402, 4) snb dispositione, ni fallor, erat praefecti frumento dando (de quo cf. Gr. 440, 2; 344, 8=Mur. 666, 4; Gr. 471, 6; Or. 4910; Gr. 1091, 8; 188, 1; Mar. Arv. p. 53; Or. 77=de Lama, iscr. di Veleia p. 71; Or. 2377=Gr. 45, 9=1029, 4=Mnr. 359, 1; Card. dipl. milit. p. 304, n. 592). Quos praefectos Augustus constituit, cum ipse curam annonae suscipere coactus dnos initio sibi adiungeret viros consulares, qui ad frumentum popnlo dividendum quotannis deligerentnr (Dio 54, 1), quarto tamen anno post (736 a. U. c.) quattuor quotannis ei rei praefecit praetorios viros (Dio ibid. 17). Et hi quidem frumentum distribuebant. Comparandi autem eins cura *praefecto annonae* mandata erat ab eodem Augusto versns imperii finem, ut videtur, instituto, qui semper ex equitibns snmptus, inter magistratus non habebatur, cum, sicut praefectus vigilnm, extra ordinem ntilitatis caussa constitutus esset (Dio 52, 24; Dig. I, 2, 33), cognoscebat autem de omnibus rebus, quae ad annonam spectant (Dio l. l. 33; Dig. XIV, 5, 8; XLVIII, 2, 13). Sunt plerumque homines militares, qui procuratores deinde Augusti in provinciis, ex his vero praefecti annonae fiunt (Grut. 426, 5; Mur. 690, 16), *perfectissimorum virorum* titulo ornati (Gr. 32, 6; 1086, 6). Post Constantinum demum maioris dignitatis viri haud scio an illi muneri praepositi sint (Gr. 370, 3; 433, 4), *sub dispositione* tamen *stabant* etiam ea aetate *viri illustris praefecti urbis Romae* (Dignitt. Occid. 4). – His autem

Digitized by Google

Nec tempus definiri potest, quo alimenta plane interierunt, id quod eadem, ni fallor, ratione evenit, qua iam Commodo imperante per novem annos intermissam fuisse redituum alimentariorum perceptionem vidimus.

XIII. Iam vero expositis, quae pauca sane et minus bene inter se cohaerentia de Traiani institutione alimentaria ex parcissimis historiae illorum temporum reliquiis eruere mihi licuit, ad insigne illud monumentum explicandum accedimus, quod huic dissertationi occasionem praebuit. Ac primum quidem de ipsis Liguribus, ad quos monumentum pertinet, deinde de tabula in universum disputandum est, quae contineat quaque ratione cum re alimentaria coniuncta sit.

De Liguribus Baebianis haud multa nota sunt. Per multos annos Romanis adversus Ligures bellum gerendum erat, indomitam gentem, montibus aeque ac fortitudine defensam. Anno U. 572 *P. Cornelius et M. Baebius*, narrat Livius (XL, 37; 38), *qui in consulatu nihil memorabile gesserant, in Apuanos Ligures exercitum induxerunt.... Ligures, qui ante adventum in provinciam consulum non exspectassent bellum, improviso oppressi, ad duodecim millia hominum dediderunt sese. Eos, consulto per litteras prius senatu,*

praefectis subditi erant, qui procurando Urbi frumento in provinciis adservandoque in horreis praepositi erant, *procuratores* dicti *annonae*, quorum noti sunt *Q.* Acilius Tuscus *proc. annonae Auggg. nnn* (Severi, Caracallae, Getae) *Thibursicensium* in Africa (Maff. M. V. 349,6), *procurator Augustorum ad annonam provinciae Narbonensis et Liguriae* (Or. 3655=Mur. 526, 3=Millin, voyage III, p. 601), *procuratores* denique *annonae* sive *ad annonam Ostiis* (Kellerm. vigiles 274; Mur. 682, 4), quos omnes Amatius ad alimenta retulisse videtur, id quod de procuratore provinciae Narbonensis et Liguriae disertis verbis proposuit. Eadem ratione *statio frumentariorum* in titulo quodam Ostiensi (Arcad. Acta 1825 p. 352), *dispensatores annonae Aug.* (Mur. 910, 7) vel *a frumento* (ib. 888, 2; 892, 10), *tabellarii ex officio annonaes* (Fabr. IV, 366=VII, 2) omnes mihi quidem ad annonam Urbicam spectant.—Haec monenda erant, ne quis, Amatii auctoritate inductus, neglexisse me crederet, quae ille ad alimenta referenda esse statuit.

Digitized by Google

deducere de montibus in agros campestres procul ab domo, ne reditus spes esset, Cornelius et Baebius statuerunt, nullum alium ante finem rati fore Ligustini belli. Ager publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Taurasinorum [fuerat. In eum] . . . Ligures traducti sunt publico sumptu ad quadraginta millia liberorum capitum cum feminis puerisque. Argenti data centum et quinquaginta millia, unde in novas aedes compararent, quae opus essent. Agro dividendo dandoque iidem, qui traduxerant, Cornelius et Baebius praepositi. Postulantibus tamen ipsis quinqueviri ab senatu dati, quorum ex consilio agerent. Haec Ligurum in Samnitibus origo; quibus de deductoribus nomen Cornelianis et Baebianis inditum, populus haud exiguus, praesertim cum incrementum iis addidissent alteri ad septem millia homines, eodem anno a Fulvio consule in deditionem accepti, quibus, navibus praeter oram Etrusci maris Neapolim transmissis atque inde in Samnium traductis ager inter populares datus est (Liv. l. c. 41). Pauca inde ab eo tempore de iis nota, nisi quod bis colonias eo deductas esse, a Triumviris ac postea ab Augusto, ex Frontino sive quis alius auctor est, scimus (de coloniis p. 106 et 139, ed. Amstelod.), apud quem ita legitur: *Ligures Baebianus et Cornelianus. Muro ductus III virali lege. Iter populo non debetur. Ager eius post bellum Augustianum veteranis est adsignatus.* In quibus verbis difficultatem quandam facit numerus singularis vocabuli *eius*, cui tantum auctoritatis Burghesius tribuit, ut unam rem publicam Liguribus fuisse proponeret, incertum relinquens, num unum, an duo oppida ab iis habitata essent (Bull. 1835, p. 146). Attamen hoc quidem et ipsis Frontini verbis, quibus ex Ligurum universo populo diverso vocabulorum numero duae partes satis clare distinguuntur, et a Plinio ita indicatur, ut de eo dubitare vix possis. Haec enim verba Pliniana (N. H. III, 2), quorum sola consecutione diversos Cornelianos et Baebianos fuisse apparet: *Ligures qui cogno-*

minantur Corneliani et qui Baebiani (1). Quod ad rem publicam, curator Ligurum Cornelianorum in hoc titulo Allifano est:

SEX . MINIO . *sex* . *f* .
TER . SILVANO
AED . IIVIR . QVIN
PATR . COLON . ALLIF
QVAEST . SAC . P . ALIM . QVAEST
DEFENS . RP . PRAEF . ITERVM
CVRAT . CIVITAT . ATINATIVM
ITEM . CVRAT . LIGVRVM . COL
CORNELIANORVM
CONTVBERNIVM . VENERIS
PATRONO . OB . MERITA . EIVS
L . D . D . D . (2)

ordo vero et populus Ligurum Baebianorum in hac inscriptione a Guarinio in libro de agro Taurasino publici iuris facta (p. 38, 1. illustrazione dell'antica campagna Taurasina):

(1) Codice quidem Naturalis Historiae Plinianae, quem in bibliotheca Riccardiana asservatum antiquissimum eius operis exemplar nonoque p. Chr. saeculo conscriptum Florentini praedicant, verba *et qui Baebiani* omittuntur; sed, praeterquam quod, qui mea caussa eum inspexit, Giesebrechtius non ante duodecimum saeculum eum exaratum esse iudicavit, valde corrupta sunt verba ipsius capitis, ad quod ea, quae attulimus, pertinent, cum non solum *Baebiani* desint, sed *Vescellani* quoque, pro *Aeculani* autem *Deculani* scriptum sit.

(2). Guarinius, Tituli nonnulli Allifani, Caiatini, Saepinates. Veletri 1839. Idem monumentum ab eodem auctore editum (Tauras p. 6) alias plane lectiones exhibet, e. g. v. 5 PATR . SAC . PAL . IM, v. 6. PRAEF . P . FRVM, v. 7. deest COL . Spero tamen posteriori apographo plus fidei attribui posse, quamquam in illo quoque nonnulla sunt, quae difficultates satis graves praebent. Hoc quidem loco satis nobis est, quod *Corneliani* certo in eo titulo exstare videntur.

. . . .
PATRONO . QVI . *con*
LAPSVM TERREMO*tu*
BALINEVM · REF*ici*
*cur*AVIT . AC . SVA . *pe*
CVNIA . FECIT . OB . MV
NIFICENTIA*m* . EIVS
ORDO . ET . POPVLVS . *Ligu*
RVM . BAEBIAN
*o*RVM . POSVERVNT

Ipsa denique tabula alimentaria inter debitores rem publicam Baebianorum (III, 21) nominat, nec dubium, quin soli Ligures Baebiani tamquam ii, qui obligarunt, propositi sint. Cornelianis enim, qui ex Kellermanni coniectura in versu quarto admittebantur (Bull. 1835, p. 147), locus ibi non est, nisi versuum aequalitatem funditus corrumpere velis, unde a Burghesio quoque, inspecto, quem cum eo communicavi, titulo integro, statim reiecti sunt. Cum igitur et Corneliani et Baebiani separatim in monumentis exstent, si nihilo minus unam eorum fuisse rem publicam statuere velis, hoc ponendum erit, Ligures Cornelianos et Baebianos proprie dictos modo hoc, modo illo nomine fuisse appellatos. Cuius rei exemplum, licet alius populus, qui de duobus deductoribus nomen acceperit, mihi quidem notus non sit, tabula tamen aenea Genuatium et Vituriorum exhibet, in qua res publica castellanorum Langensium Vituriorum raro quidem duobus hisce nominibus designatur, saepius autem vel Langensium sive Langatium, vel Vituriorum nomine; quin, ipso documenti initio, quo potissimum loco duobus nominibus rem publicam nominari conveniebat, soli Viturii citantur. Suo igitur iure Rudorffius (Q. et M. Minuciorum sententia inter Genuates et Viturios dicta, Berolini 1842) Langenses et Viturios

duo quidem Genuatium castella habitasse statuit, unam vero inter se rem publicam habuisse, ita ut alterorum noi mine alteri quoque comprehenderentur, coniuncta eorum appellatio non duas, sed eandem significaret universitatem. Sin vero accuratius inspexeris titulum illum curatoris Cornelianorum, qualem paullo ante ex posteriore Guarinii apographo eum exhibuimus, nonnihil adversarhuic sententiae verba CVRAT . LIGVRVM . COL . CORNELIANORVM facile cognosces, quippe quae, cum *Ligurum coloniae Cornelianorum* legenda sint, nihil dubii relinquant, qnin dnae fnerint coloniae Ligurum, colonia videlicet Cornelianorum et colonia Baebianorum; quarum cum altera suum haberet curatorem peculiarem, de coniuncta re publica vix potest cogitari (1). Verba autem Frontini haud scio an ita explicanda sint, ut, quod nno tempore Ligurum populus deductus, uno tempore ager eius veteranis assignatus erat, quod praeterea unus erat populus origine et moribus a vicinis diversus, duarum civitatum agrum pro uno in coloniarum libris positum esse dicamus.

Accedit aliud argumentum ex tabula alimentaria repetitum, qno ad solos Baebianos eam spectare valde probabile fit. Ratione enim usurarum ducta summam invenies HS $\overline{\text{XXXX}}$, quam, si pecunias in mentem tibi revocaveris, quae singulis pueris Veleiatibus et Tarricinensibus in annos singulos praestabantur, quinquaginta fere pnerorum alimentis vix sufficere concedes. Sed Veleiae trecentis pueris vel pluribus potius alimenta dabantur, cum ante obligationes, quarum tabula reliqua nobis est, alias iam

(1) Idem S. Minius quaestor quoque sacrae pecuniae alimentariae erat, ut antea vidimus; quod munus ad quam civitatem pertineat, dubius esse potueris, cum idem in pluribus civitatibus muneribus functus sit. Mihi quidem Atinatium rem publicam spectat, quamquam pro certo hoc affirmare non ausim, cum tribus TER num ad Atinatium potius, an Allifanorum civitatem spectet, eruere mihi non contigerit.

factas esse probaverimus; Tarricinensium pueris centum Caelia Macrina alimenta legavit; Comensibus Plinius tricena millia annua dedit, sortem vero legavit trecentum millium, quae fiunt annua millia duodeviginti. Summa igitur valde exigua Liguribus data est, si ad Baebianos una cum Cornelianis tabula pertinebat; quamquam ipse populus minime exiguus, cum ad quadraginta millia liberorum capitum cum feminis puerisque, paullo post altera septem millia a consulibus in agrum Taurasinum deducta essent (Liv. XL, 37; 41). Contra, si ad solos Baebianos summam illam pertinere, alias pecunias Cornelianis datas esse statueris, optime omnia conveniunt. Mirum quidem est, quod, cum frequentissima in tabula Baebiana agri Beneventani mentio sit, nusquam fundi commemorantur in Cornelianorum territorio siti; nam difficile sane est creditu, multos quidem fundos Beneventanos, nullos vero Cornelianorum apud Baebianos vicinos obligatos esse; sed deest primae columnae pars maior, ita ut sciri nequeat, num re vera Cornelianorum pertica ibi commemorata non sit. Quin, haud scio, an ex ipsis illis reliquiis novum quoddam argumentum petere liceat ad confirmandam nostram de separatis duabus rebus publicis sententiam. Col. I, v. 42 legimus CALIGVRVM, quae verba, ut docent ea, quae antecedunt et sequuntur, ita supplenda sunt: *adf re publica Ligurum,* vel *Cornelianorum* vel *Baebianorum.* Sed Ligurum Baebianorum res publica postea (III 21) commemoratur, ita tamen, ut, omisso Ligurum nomine, simpliciter Baebiani dicantur; unde hoc quidem loco nominatos eos esse haud veri simile. Quamquam pro certo affirmare ne hoc quidem ausim; nam in aliis quoque rebus varia saepe pro eadem re vocabula in tabula Baebiana adhiberi mox videbimus.

Hoc solum mihi constat, tabulam Baebianam solos spectare Baebianos Ligures; quod si verum est, ne illa quidem de coniuncta quadam Ligurum re publica senten-

Digitized by Google

tia stare potest. Habemus quidem in titulo Baebiano (III,7) *rem publicam Ligustinorum;* caveas vero pro communi Cornelianorum ac Baebianorum re publica eam habeas. Est enim, de qua re pluribus mox disserendum erit, Ligustinum, quod dicitur, pars territorii Ligurum perticae Beneventanae addicta, cuius incolae quod rem publicam habuerint, nemo mirabitur, qui, non dico castellanorum Vituriorum Langensium, sed collegiorum rem publicam, cuius toties in monumentis commemoratio fit, in mentem sibi revocaverit. (cf. Or. 4068; 4420).

At si obligationes in tabula Baebiana notatae a solis Baebianis factae sunt, quid de Beneventanis statuendum, quorum mentio in ea frequentissima est? Quin Nonium Restitutum fundus, quem obligavit, Nonianus situs in Beneventano (III, 70) ab origine Beneventanae perticae adscriptum fuisse demonstrat. Facile enim ea res induxerit aliquem, ut, cum rei publicae alicui alimenta concederentur, ita actam esse rem sibi persuadeat, ut in eius quidem utilitatem inque sola ea civitate professiones fierent, aliorum tamen municipiorum civibus et ipsis, si vellent, fundos profiteri atque obligare liceret. Sed attendat, velim, accuratius paullo ad singula tabulae capita; facile cognoscet nonnullos fundorum Beneventanorum possessores in Ligurum agro itidem praedia habere, quales Cn. Marcius Rufinus (II, 16), Ceius Venator (III, 28), M. Septicius Crescens (III, 65). Divitum enim fundi ea quidem aetate per totam Italiam et provincias sparsi neque unius municipii finibus circumscripti. Cuius rei praeter innumeros illos lapides municipum, qui pluribus in civitatibus honoribus vel muneribus affecti sunt, luculentissimum exemplum Plinius affert, qui quam multa ubique praedia habuerit, satis notum ex epistolis eius; quem cum apud Comenses agros possedisse antea viderimus, tabula Baebiana in Beneventanorum quoque finibus fundos habuisse constat. Coniecturae enim Guarinii (ad I, 79) ob exiguam,

qua tunc laborabat, probabilitatem a Burghesio reiectae, qui pro *PlINIO* SECVN*do* Latinium Secundum inferre maluerit, *fundo Pliniano*, quem capite nunc demum in lucem producto in pertica Beneventana fuisse docemur (II, 48), magnum sane probabilitatis argumentum additur. Disertis quoque verbis in tabula Veleiate quidam pluribus in territoriis praedia obligasse dicuntur.—Accedit, quod in tabulae indice disertis verbis proponitur: *obligarunt Ligures Baebiani*; et, quod gravissimum fortasse nostrae sententiae argumentum est, quaestoribus municipalibus alimentorum cura mandata erat, quorum potestas ipso municipii territorio coërcebatur. Non igitur dubito, quin omnes fundi, qui in Beneventano obligantur, possessores spectent Ligurum rei publicae adscriptos, sicut Veleiatium erant, qui fundi in Placentino, Lucensi, Libarnensi in eorum tabula obligati nominantur. Ipse quoque Nonius antea laudatus licet origine esset Beneventanae coloniae addictus, Baebianorum tamen, ni fallor, civitati adscriptus erat.—Neque mirum, si etiam in territoriis magis remotis praedia obligata esse invenimus, ut pertica Nolana commemoratur (I, 10); Nolanum autem civem apud Baebianos fundos professum esse vix credideris, cum Nolae quoque alimenta constituta fuisse lapide constet quaestoris cuiusdam alimentorum Nolae reperto (Fabr. p.61, 357 =Reines. VI, 24).

XIV. Obligationes fundorum ita factas esse vidimus (§. V), ut possessores, quos obligare vellent, profiterentur. Professionem autem antecedere debebat proscriptio sive propositio. Palam, ni fallor, in foro vel in basilica tabula quaedam proponebatur, qua summa ab imperatore concessa obligationisque conditiones perscriptae erant; unde maxime mihi probabilis Mommsenii coniectura est, qui lacunam tertii versus tabulae Baebianae vocibus PRAED EX PROPOSITO sive EX PROSCRIPTO supplendam esse censuit. Quas lectiones cum Burghesio communicatas ita

vir doctissimus approbavit, ut ob ipsam lacunae naturam illam praeferendam esse iudicaret, litterae P indicium quoddam remansurum fuisse ratus, si *proscripto* in tabula legebatur.—Dabant deinde nomina possessores apud quaestorem, credo, rei alimentariae vel ipsi praesentes vel per procuratorem; is nomina possessorum, fundorum appellationes, perticam pagumque, ad quos pertinebant, adfines, aestimationem, summam denique accipiendam albo inscribenda curabat. Ita in tabulis alimentariis eaedem plane res scriptae sunt, quas de censibus Ulpianus praescribit (Dig. L, 15, 4): *forma censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur: nomen fundi cuiusque et in qua civitate et quo pago sit, et quos duos vicinos proximos habeat . . . . Omnia ipse, qui defert, aestimet.* Quibus rebus notandis si in censu opus erat, non minus eaedem in re alimentaria adnotari debebant, quae tota nitebatur fundorum obligationibus. De ea sola re dubito, num aestimationes fundorum, ut in censibus agendis, ita quoque in re alimentaria ab ipsis possessoribus factae sint. Videntur quidem in tabula Veleiate, ubi est: aliquis fundos aliquos professus est certa aliqua sestertium summa. Cum vero uno eius tabulae capite fundus legitur, *qui ex reditu aestimatus est* (VI, 42), de possessoris aestimatione ibi quidem cogitari vix potest. In tabula porro Baebiana pretium cum vocabulo AEST fundis addi solet; semel (II, 67) pro eo EMPT ponitur, ita ut pro aestimatione emptionis pretium in tabulam receptum sit. Quibus rebus reputatis, ita factum esse equidem censeo, quae ratio simplicissima simul ac commodissima, ut aestimatio fundorum libris censualibus perscripta in obligatione alimentaria pro norma adhiberetur, possessores fundos pretio in iis notato profiterentur. Pretium autem fundi alicuius post ultimum censum evenire potuit ut aut augeretur aut diminueretur; aequum igitur, ut ex reditu denuo aestimaretur, vel, si forte eo tempore venditus erat, emptio

pro aestimatione accipiebatur.—Ut vero in coloniarum deductionibus agrorum assignatorum omnes significationes et formae aereis tabulis inscribebantur, libri aeris et typus totius perticae linteis descriptus tabulario Caesaris inferebatur, ita ut omnia documenta non solum colonia, sed et tabularium Caesaris haberet (Hygin. de limit. const. p. 193; cf. Sic. Flaccus de condit. agror. p. 16); ita albi quoque professionum alimentariarum unum quidem exemplum Romam missum esse, alterum aeri incisum in municipio remansisse probabile. Eiusmodi autem professionum album tabula Veleiatium est. Qua accuratius paullo inspecta, facile docemur principalem eius rationem ac consilium in eo positum esse, ut recte fundi obligati pretiumque eorum et accepta pecunia in ea perscriberentur et describerentur. Ita enim e. g. in ea legimus: *M. Virius Nepos professus est praedia rustica deducto vectigali sestertiis* 310545 *num., accipere debet sestertios* 25353, vel: *C. Vibii Severi, profitente ipso, fundi cet. sestertium* 350000; *accipere debet sestertium* 35000. Sequuntur singuli fundi, quibus composita praedia obligata sunt, adfinibus omnibus diligenter adiunctis, ita ut non duo solum, qui in forma censuali, sed tres quoque vel quattuor, si *populus* iis accedit, nonnunquam annumerentur. Usurae contra, quae singulis solvendae imponuntur, capitibus singulis non adnotantur, postquam usurae quincunces tanquam usurarum norma semel initio propositae sunt. Quibus praeterea primis tabulae versibus et summa ab imperatore praestita et puerorum numerus pecuniaque singulis mensibus singulis solvenda ita scripta sunt, ut nihil sane desideretur, nisi ipsa alimentariorum nomina, quae cum itidem aeri inciderentur, id quod in Urbica saltem alimentorum institutione vidimus, alias iis tabulas destinatas fuisse necesse est. Quo autem melius ante oculos tibi sit ea, quam diximus, tabulae Veleiatium indoles, primos eius versus hic transscribere liceat: *Obligatio praediorum ob sestertium de-*

riens quadraginta quattuor millia, ut ex indulgentia optimi maximique principis Imperatoris Caesaris Nervae Traiani Augusti Grmanici Dacici pueri puellaeque alimenta accipiant lsgitimi numero 245 *in singulos sestertios* 16 *numos; fiunt sestertii* 47040 *numi; legitimae numero* 34, *singulae sestertios* 12 *numos; fiunt sestertii* 4896; *spurius* 1 *sestertios* 144, *spuria* 1 *sestertios* 120. *Summa sestertium* 52200, *quae fit usura* ⁼—⁼ *sortis supra scribtae.*

Iam videamus de tabula Baebiana. Legimus in indice eius:

Imp.. Caes. NERVA TRAIANO AVG *GermanicO* IIII
Q . ARTICVLEIO PAETO *II cos.*
*ob liberalitatem optim*I MAXIMIQ PRINCIPIS OBLIGARVNT PRA
*ed ex proposit*O LIGVRES BAEBIA'
*ni und*E EX INDVLGENTIA EIVS PVERI PVAELLAEQ
A*limenta ac*CIPIANT

Deest et summae ab imperatore donatae indicatio et puerorum numerus et usurarum pecuniaeque illis praestandae nota. Non minor in singulis capitibus diversitas, in quibus id potissimum agitur, ut usurarum summae recte perscriptae sint; quapropter commemorantur quidem fundi obligati, pertica, pagis, adfinibus adiunctis, sed summa in his rebus brevitate usus est, qui tabulam scalpendam curavit, pro duobus videlicet adfinibus, quibus ad accurate designandos fundos opus erat, unum solum adnotasse satis habens, alio praeter *populum* nunquam addito, ipsos pagos, ut diximus, non semper indicans. Professionum deinde nusquam mentio fit. Quamquam enim prima tabulae columna desideratur, cuius primo saltem capite haud omissis necessariis sive verbis sive substantivis tota formula proponeretur necesse erat, nihilo tamen minus verbo *profitendi* ibi locum non esse quisque intelliget. Quam paucissimis enim supplementis uti cogimur, cum ne primum qui-

dem illud caput maius aliis spatium occupasse appareat. Haec autem verborum in tabula Baebiana consecutio est: Praecedit possessoris nomen sexto casu positum; nam Burghesii dubitatio, num pro dativo, an ablativo habendus sit, nunc, cum tota nobis nota sit tabula, sublata est. Sequitur fundus genitivo casu; usuras notis numerisque expressas pro nominativo facile cognosces, quippe qui periodo nulli deesse possit. Itaque ita fere supplendum esse primaeque columnae primo capite scriptum fuisse censeo: *a C. Titio debentur sestertii C. obligatione fundi Titiani* cet. , obligationis vocabulo minime repetito ex obligatione nona, de qua antea egimus (§. II), sed ex tertio indicis versu, ubi legimus *obligarunt praedia* cet. Sequuntur pertica et pagus, si eorum nota opus est, summa deinde aestimationis pecuniaeque acceptae, haec per praepositionem IN adiuncta, quemadmodum in tabula Veleiate dicitur: *obligare debet in* HS. . . . . . (cf. e. g. § 2 apud de Lama).

Comparata brevi hac perque compendia exprimendi ratione cum oratione prolixa fusaque tabulae Veleiatinm, quae publico instrumento magis sane convenit quam brevis illa Baebianae tabulae ratio, cum in eadem institutione ab eodem imperatore fundata et ordinata similia documenta simili ratione concepta esse mihi persuasum sit, Baebianam tabulam pro epitome quadam habeo facta ex publico professionum albo in commodum magistratus, cui alimentorum cura mandata erat. Quamobrem diligentius in ea perscripta sunt, quae vel pecunias acceptas vel usuras solvendas spectant. Singulis praediis singulae pro iis acceptae pecuniae post aestimationis notam adduntur; usurae porro singulis possessoribus praestandae in margine prope titulos leguntur, quod in iis exigendis quaestoris opera maxime versabatur. Eadem de caussa capitibus aliquot in fine nomen quoddam additum est primo casu positum, modo liberum quendam designans, modo servum, quin etiam feminam, praecedente semper nota N. Quam

Burghesius, citatis quibusdam Pauli in Digesto verbis (XVIII, I, I): *emptio et inter absentes contrahi potest et per nuntium et per litteras,* ad exemplum Veleiatis tabulae, qua saepe professiones per alium quendam factae esse dicuntur, pro *nuntio*, nuntium autem pro procuratore babuit (Bull. 1835, p. 151). Haud tamen facile mulier, quae est Hedone (II, 74), procuratoris vices gerere poterat. Praeterea docuit me Mommsenius iuris peritissimus nunquam nuntii vocabulum apud Romanos ad procuratorem designandum usurpari neque in verbis laudatis ita accipiendum esse; immo eandem fere rem vocabulis nuutii et litterarum ibi significari, cum viva voce nuntius nuntiet, quae litteris quoque deferri possunt. *Numerat* contra notam N explicandam esse proposuit, quae si cum nomine servili coniungitur, actor cogitandus est, ad quem fundorum administratio solvendaque spectat pecunia, si cum alio nomine, liber quidam, cui possessor fundos locavit, et ita quidem, ut, quamquam fundi iure a possessore teneantur, quaestor tamen ab illo pecuniam exigat eumque primum compellat. Ne *filii* quidem, si recte Brunnius ita legit (I, 45), tum difficultatem faciunt, cum fieri possit, ut parentes praedia iis colenda tradiderint, neque ipsa Hedone, quam servili conditione esse nomen demonstrat, est, quo impedimento sit. Optime autem ad tabulae Baebianae naturam et indolem, si recte quaestoris album usurarum potius, quam professionum eam declaravimus, quadrat, quod capitibus nomina eorum addita sunt, qui pro possessoribus usuras solvere debent.

Conscripta praeterea tabula ita est, ut pro documento publico eius generis, quale professionum album est, vix eam habere possis. Exspectandum sane erat eadem omnia ratione perscripta esse, id quod in tabula Veleiate factum esse videmus. Licet autem eandem in tribus monumenti Baebiani columnis retentam esse verborum consecutionem antea exposuerimus, facile tamen accuratius

inquirenti intelligitur, in nonnullis rebus paullulum a ceteris differre columnam primam. Cum enim in illis pertica simpliciter sexto casu, nonnunquam per praepositionem *in* fundis adiungatur, haec quater notas Q E IN exhibet (18; 35; 65; 73), quas ex tabulae Veleiatis exemplo *qui est in* Burghesius explicavit (Bull. 1835, p. 149); porro, cum singulae capitum paragraphi continuatis versibus in illis scriptae sint, ita ut capitum tantum fine, etiamsi versus ad finem perductus non est, nova linea incipiatur, primae columnae frusta interdum certe aliam legem in ea observatam esse satis clare demonstrant (cf. 24; 31; 81); quae diversa columnarum ratio publico documento parum conveniens, si eius epitomen monumentum Baebianum esse dicimus a nescio quo scriba confectam, ita fortasse explicari potest, ut, cum inter scribendum tabulae spatium verbis incidendis non suffecturum esse animadvertisset, maiore postea brevitate scribam usum esse dicamus. Varia porro in singulis capitibus rerum proferendarum ratio. Mitto, quod numerus *mille* in eodem saepe capite modo ∽, modo numeri nota, super quam lineola collocata est, significatur; quod territorium Beneventanum modo pertica Beneventana, modo Beneventanum, modo Beneventanorum fines appellatur, quae quidem verba ad idem redeunt, licet in instrumento publico maior exspectari possit aequalitas, quam Veleiatium tabula re vera exhibet. Sed magis moveor scribae sive negligentia sive brevitatis studio parum prudenti, quippe qui saepissime notitias in professionum albo maxime necessarias omiserit, id quod excusari fortasse potest, si pro epitome eius usurarum gratia exarata tabula habenda est. Perticam Baebianam licebat fortasse non nominare, cum tota tabula Baebianos spectaret et ipsi Ligures Baebiani in indice eius tamquam ii proponerentur, qui soli fundos obligarant; quod autem adfines fundorum haud raro omittuntur (II, 9; 12; 17 sqq. III, 12; 22; 26; 31; 34;

76; 78; 82), ferri vix potest, cum eorum nominibus fundi designentur quo loco siti sint; nisi forte ita hoc explicare volueris, ut simili ratione, qua Baebianorum perticam, tum adfines non nominatos esse dixeris, cum fundi qnoque vicini eundem spectabant possessorem; quamquam in tabula Veleiate ceteris adfinibus tnm semper ET SE adiungitur (cf. IV, 80 al.) Accedunt praeterea alia, qnibns haec excusatio parum probatur. Nonnullis enim capitibus desideratur etiam indicatio pecuniae acceptae (II, 3; 18 sqq; 39); multis pagus non additur, cui fnndi obligati adscripti sunt. Quin autem omnes fundi in tabula Baebiana perscripti pago alicui addicti fuerint, minime mihi dnbium, cum praedia tantum rustica obligata esse et disertis passim tabulae Veleiatis verbis probetur, et ea ipsa ratione, qua alimenta instituta sunt. Ipsae denique casae, aedificia scilicet rustica, quae nonnullis, quibus pagus deest, capitibus commemorantur (II, 14; III, 59), eorum quoque fundos rusticos esse testantur. Et interdum quidem credere potueris omittendis pagis rationem quandam et ordinem inesse, ita fortasse, ut fnndi hominum nobiliorum et qui omnibus satis noti fuerint, omissis pagis notati sint; Iuliorum e. g. fundis, qni ter in tabula nominantur (II, 18; 51; III, 21), nunquam pagus adinngitur; Neratius Marcellus ter sine nota pagi inducitur, licet ne de eius quidem ipsius praediis sermo sit (II, 16; 52; III, 60); idem de Caeliis (III, 13; 56). Neque diiudicaverim equidem, num eiusmodi ratio nunquam in pagis haud commemorandis obtinuerit; saepius tamen scribae vel scalptoris negligentiae eam rem attribuendam esse capite quodam columnae tertiae docemur (17 sqq.), cuius quidem secunda paragrapho PAGO SS (*supra scripto*) legitur, prima autem pagus desideratur. Quae cum ita sint, ne sic quidem scalptori rem institntam esse credere licet, ut, ubi pagus commemoratns non est, fundus ad pagum capite antecedente nominatum referendus sit; qua quidem ratione

explicandum esse credo, quod in tab. Veleiate multi saepe unius capitis articuli neque adfinibus neque pagis notatis afferuntur; contiguos enim eos fuisse dixerim. In tabula Baebiana contra confitendum est omnem hisce fundis deesse notam, ubi siti sint, quae res novum nostrae sententiae argumentum affert; qua non adoptata, difficile sane erit ad explicandum, quomodo fieri potuerit, ut tam parum accurate publicum documentum conscriptum et exaratum fuerit, quamvis plurimum, ut vidimus, interesset, ut fundi recte in eo perscriberentur et describerentur.— Bene quoque animadvertendum est, versus tabulae finem augeri illam sive negligentiam sive brevitatem. Pagi quidem nota tredecim capitibus deest, quorum novem tertiae columnae sunt (III, 9; 13; 17; 21; 35; 56; 59; 70; 77), secundae quattuor (II, 14; 17 sqq; 47; 51); adfines tribus secundae, octo tertiae columnae capitibus desiderantur (cf. antea), ultimum autem tertiae columnae caput tanta cum negligentia conscriptum est, ut desit non adfinis solum, sed etiam fundi obligati nomen, pro *adfine* autem FINIBVS scriptum sit. Praeterea cum tota tabula parum bene scalpta sit (id quod plerumque in titulis aeneis invenimus), tertia columna tam male exarata est, ut ne recta quidem linea versus procedant, sed obliqui saepe et inclinati sint, tantopere autem compressi, ut, quamquam quattuor versibus tertia ceteras columnas superat, nihilo minus ne tantum quidem, quantum illae, spatii occupet. Quae omnia ea sola ratione explicantur, quam antea proposuimus, cum de diversa inter se columnarum conditione verba fecimus, maiore videlicet brevitatis studio finem versus tabulam conscriptam esse, quod capitibus incidendis periculum fuerit ne locus deesset. Nimium enim, ni fallor, negligentiae scalptoris tribuerit, qui per eam solam omnia illa, quae citavimus, omissa, propter eam tam diverso modo columnas conscriptas et scalptas esse dixerit. Quamquam magnam quoque esse illam negligen-

tiam minime nego, cum scalptoris mendis libera tabula Baebiana non sit. Praeter ultimum eius caput, de quo modo locutus sum, testimonia eins rei afferunt: *Iulius Saturtinus* (II, 15) pro *Saturninus;* pagus *Mefanus* (II, 60; 63), si quidem vere pro *Meflano* ita scribitur; fundus *Premigenianus* (II, 65) pro *Primigenianus;* pagus porro vel genitivo casu positus (II, 63), cum casu ablativo additus esse debeat, vel post adfinem (II, 70), cum eum antecedere soleat, vel denique omisso nomine adiunctus (III, 41), ubi, ni fallor, SS, *supra scripto,* supplendum est. Praeterea fundum errore sexto casu positum (III, 79); adfinem omisso cognomine, solo nomine indicatum (III, 40), et nomen adfinis haud adiuncta nota ADF (III, 15); pro *re publica* REIP scriptum invenimus (III, 7). Quater denique pro IN nota F, *funt,* legitur, ubi ei locus esse non potest, cum notetur pecunia accepta, non autem plurium summarum ratio ducatur (II, 50; III, 5; 12; 81). Accedunt alia, quae sermoni illis regionibus peculiari equidem attribuerim, qui inter scribendum interdum scalptori exciderit: commutatae vocales *ae* et *e* (*puaellae* pro *puellae,* v. 4 indicis; *Naeratius* pro *Neratius* II, 8, *Cerellianus* pro *Caerellianus,* II, 53), litterae *b* et *v* (*Bibbius* pro *Vibbius* III, 47), *oblegatio* pro *obligatio* (II, 26; III, 14; 18); quae plerumque in inscriptionibus aevi posterioris inveniri solent, nondum vero aetate Traiani. Mitto ablativum tertiae declinationis in *e* conformatum, quem ubique reperimus, etiamsi *i* postulare videntur grammatici; nam illa quidem forma in tabula quoque Veleiate semper adhibetur. Contra non semper scalptor illis, quas modo attulimus, formis usus est, cum communes quoque formae in tabula legantur, *Caerellianus* (III, 39), *Neratius* saepius (II, 14; 16; 52; 74; III, 60), *obligare* in ipso tabulae indice (v. 4), *Vibbius* (II, 72; III, 53; cf. III, 19); quapropter illa quidem menda putanda sunt negligentia orta scalptoris, qui sermone vitae communis ibi usus sit.

Omnia autem, quae hucusque de rebus vel omissis vel nimia negligentia perscriptis exposuimus, ita comparata sunt, ut sententiam de tabula universa prolatam maxime confirment. Quamquam enim facillimum erat errare in numeris incidendis, in his ipsis tabula mendis paene libera est. Mitto pecuniae acceptae et usurarum notas, quae subducta ratione emendari facile poterant, ita ut apographis nostris fidem in iis esse aliquis negare possit; at ceterorum omnium numerorum ratione subducta quattuor tantum invenies, quibus mendum inesse debet, si recte legerunt qui eos exscripserunt. Summa enim aestimationum capitis II, 17 sqq. in tabula legitur esse CCCCLVI, re vera autem est CCCCLXI, nisi v. 24 XXXV emendare velis in XXXX; quam facile enim in titulo Baebiano a lectore notae V et X commutentur, probat editoris Neapolitani exemplum, qui col. III, 14 pro V legit XI, v. 20 pro X, V. Alterum mendum tribus, quorum nobis copia est, exemplaribus confirmatum, exstat ultimo secundae columnae capite, quo legitur LXXXII pro LXVII, de qua summa disputavit iam Burghesius (Bull. 1835, p. 150); tertium deinde summae aestimationum III, 27 propositae inest, quae est HS CXXXXIII, non CXXXIII. Haec sunt sola, quae in numeris mendose scripta sunt, qui ad aestimationes spectant; in summis pecuniae acceptae recte omnia se habent, in usuris semel tantum pro XXXXII legitur XXXXIIX (II, 43) (1).— Pecuniae acceptae summam tribus capitibus omissam esse antea diximus; qui tamen paullo accuratius ea capita inspexerit, alteri minime pecunia indicata opus esse facile concedet, cum duae solum paragraphi caput illud efficiant, eandem utraque aestimationem exhibens, ita ut, cum tota

(1) Garruccius vehementer quidem de scalptoris in numeris negligentia conquestus est; docemur autem Brunnii apographo ipsius viri reverendissimi in exscribendo incuria fere omnia illa menda orta esse; cf. Bull. 1845, p. 80 et huius dissertationis appendicem.

by Google

summa accepta statim post proponatur, dimidiam ad singulas aestimationes spectare quisque intelligat, eandem vero fere rationem alterius capitis esse, cuius alteri paragrapho summa accepta deest, aestimationes autem paullum tantum inter se differunt (II, 3). Restant solae tres primae paragraphi capitis Marcii Rufini, de quibus non habeo quae pro excusatione afferam.—Hoc igitur mihi quidem cons'at, maiore, quam cetera, cura ac diligentia notas numerorum tabulae Baebianae incisas esse, cui rei si cetera, quae antea proposuimus, argumenta adiunxeris, vix, spero, dubitaveris, quin quaestoris alimentarii album quidem nobis reliquum sit, non autem magnum illud professionum album, cuius Veleiatium tabula exemplum praebet, sed epitome eius usurarum exigendarum caussa confecta.

XV. Pauca addere liceat de pagis, qui in tabula Baebiana commemorantur; quorum undecim ex eo, quod nihil iis additum est, ad Ligurum agrum pertinere constat (cf. Burghes. Bull. 1835 p. 149), septem in Beneventanorum pertica siti esse dicuntur. Eorum nomina haec sunt:

Perticae Baebianae:		Perticae Beneventanae:	
Albanus	III, 37.	Aequanus	I, 36; II, 26.
Articulanus	III, 12.	Caelanus	II, 40.
Beneventanus	III, 29.	Catillinus	III, 83.
Cassiae	III, 30.	Cetanus	III, 80.
Fascianus	III. 25.	Ligustinus	II, 9.
Herculaneus	II, 23; 56; III, 34.	Lucianus	II, 27.
Horticulanus	III, 68.	Saeculanus	II, 32.
Libitinus	III, 54.		
Lybicanus	III, 49.		
Martialis	I, 42; III, 2, 4, 43, 46, 47, 63.		
Salutaris	II, 67; III, 15.		

Digitized by Google

Duo praeterea pagi modo Baebianae, modo Beneventanae perticae attribuuutur, Romauus (II, 12, 35, 44, 54; III, 6) et Meflanus (II, 25, 73; III, 39, 66, 73, 76, et, si quidem Mefanus scalptoris tantum meudo ortus est, II, 37, 63). Eandem rem apud Veleiates reperies, in quorum tabula pagus Minervius in Lucense (III, 33, 76) et Placentino (V, 90), Salvius in Veleiate (II, 22; III, 97; VI, 14; VII, 38) et Parmense (III, 37), Salutaris, Valerius, Venerius in Veleiate (I, 61, 62; II, 29, 31, 32, 104; III, 37, 41.–II, 20, 25.–V, 50, 52) et Placentino (V, 70.–V, 47, 48, 49; VII, 58.–II, 73, 74, 76, 78) commemorantur. Quos omnes quominus pagos loco diversos, eodem nomine appellatos credas, alio quodam tabulae Veleiatis capite prohiberis, quo *fundus Aurelianus. Virtianus. Cornelianus* in *Veleiate et Libarn. pag. Moninate* (IV, 35) situs esse dicitur, quae quidem verba ad unum pagum duobus territoriis addictum quiu refereuda siut, dubium esse uon potest.

Pagorum autem autiquissima, quamque ubique reperimus, Italiae divisio. Testimonia, quod ad antiquitatem, et Diouysius, qui a Servio eos institutos esse fabulatur (IV, 15), et quae de vetustissima agri Romani conditione cognita habemus (cf. Mommsen, tribus p. 15 sqq.); per omnem autem Italiam, immo Galliam quoque eam divisionem obtinuisse, permultis ubique inscriptionibus antiquis satis probatur (1). Liguribus igitur a Cornelio et Baebio consulibus in Samnium traductis cum agri assignareutur, vetus remauebat siue dubio pagorum divisio; e quibus aliis remanebat etiam appellatio antiqua, cuius rei pagus

(1) cf. prope Urbem pag. Ulmanum et Transulmanum, Or. 111;— in agro Campano pag. Herculaneum, Mazocchi. tab. Heracl. p. 399= Mur. p. 290, 2;—apud Veronenses pag. Arusnatium Maff. M. V. p. 75, 3, Veroua illustr. 1, 5;—apud Brixianos pag. Farraticanum Grut. 1007, 7,— finibus Arelatensium pag. Lucretium Or. 202=Spon 165, 1;—apud Veleiates, Parmenses, Lucenses, Libarnenses, Placentinos tab Vel. cet.

Meflanus exemplum offert (nam Oscam originem nomen hoc redolere videtur), aliis nomina Romana indita sunt vel a diis repetita, qui in iis praecipue fortasse colebantur, ut Herculaneo, Martiali, Libitino, vel a civitatibus tum vicinis tum remotioribus, ut Beneventano, Albano, Romano (cf. tab. Veleiat. Velleium, Vercellensem, Veronensem pagos), vel denique ab hominibus aut rebus eorum peculiaribus. Jam vero ante deductos Ligures Beneventi colonia instituta erat; eodem postea a Julio Caesare, a Triumviris, a Nerone coloniae deductae (cf. de Vita, antiquitt. Benev. p. 29 sqq.); Ligurum porro ager a Triumviris ac postea ab Augusto veteranis assignatus (cf. §. XIII). Atque ita in eiusmodi assignationibus Romani versabantur, ut, cum ager civitatis alicnius coloniae destinatus divideretur, quantum deerat, de alius civitatis territorio adiicerent. Ita agri Capuani pars coloniae Casilino (Cic. Philipp. II, 40), Mantuani Cremonensi coloniae assignata (Servius ad Eclog. IX, v. 7, 28); a Caesare Augusto Caudium Beneventanis additum (Frontin. de coloniis, p. 104), quem multas urbes scimus, quae deductae a regibus aut dictatoribus fuerant, postquam bellorum civilium interventus eas exhausit, dato iterum coloniae nomine numero civium ampliasse, *quasdam et finibus.* (Hygin. de limit. const. p. 160). Praeterea cum recta semper linea in agrorum assignationibus Romani limites agerent, necessario fiebat, ut vicinorum agrorum partes abscinderentur. Ac vel hoc vel illo modo de Liguribus quoque et Beneventanis actum. Nescio equidem, num pagus Beneventanus Ligurum (III, 29), Ligustinus Beneventanorum partes fuerint hoc modo de pertica abscissae, ad quam antea pertinuerant, ita ut inde nomen traxerint; nam in tabula quoque Veleiate pagos commemorari de civitatibus vicinis appellatos paullo antea diximus. Constat vero de pagis Romano ac Meflano deque ceteris, quos apud Veleiates fuisse vidimus, duarum perticarum

Digitized by Google

pagis: Veleiatium enim civitas etsi non constat num colonia fuerit, Parmam saltem, Lucam, Placentiam coloniae a Romanis deductae erant.

Aliis quibusdam tabulae Baebianae capitibus sic legitur: FUND POMPONIANI PERTICA BENEVENT PAGO AEQUANO IN LIGUSTINO (II, 5), cum paullo ante soli perticae Beneventanae attribuatur pagus Aequanus (II, 1; cf. II, 6); FUND VEFAEANI IN BENEVENT PAGO ROMANO IN LIGUSTINO (II, 35). Et caveas, ne, pago, de quo antea sermo fuit, Moninate Veleiatium in comparationem vocato, eandem hic quoque rationem obtinere tibi persuadeas, i. e. fundos illos uni quidem pago, cum eo autem duabus perticis addictos fuisse; id quod falsum esse ipsa verborum consecutione satis evincitur. Novimus vero ex Siculo Flacco (de conditione agror. p. 20, 21), ubi de agris sumptis ex vicinis territoriis exponitur, non semper agros alterius civitatis alteri coloniae assignatos unam cum ea limitationis faciem accepisse (p. 24), sed nonnunquam horum quoque agrorum proprias formas factas esse; *id est*, addit, *suis limitibus quaeque regio divisa est . . . . quae singulae praefecturae appellantur, ... attamen omnes quarum coloniarum cives acceperunt, eius perticae appellabuntur*. Idem a Frontino declaratur (de limit. agr. p. 43), qui *solum* dicit, *quodcunque coloniae est assignatum, id universum pertica appellatur. Quidquid huic universitati applicitum fuerit, ex alterius civitatis fine sive solidum sive cultellatum fuerit, praefectura appellatur.* Quibus verbis collatis cum iis, quae attulimus, tabulae Baebianae capitibus hoc colligimus, Beneventanorum coloniae agri Ligustini partes nonnullas tanquam praefecturas assignatas fuisse, sitas quidem in Ligustino, nihilo tamen minus ad perticam Beneventanam pertinentes eiusque pagis Aequano ac Romano addictas. Sin vero de praefecturis ibi sermonem esse negas, nimis magna agrorum spatia eas complexas esse putans, quam ut alii pago addictae

esse potuerint, etiam de paucis quibusdam agris Ligustinis Beneventanae coloniae assignatis idem dici poterat. Conferas, quaeso, quae de iurisdictione coloniarnm in agros, qui in aliis quibusdam territoriis iis assignati erant, Hyginus exposuit (de limit. constit. p. 207, 208), quibus omnes huius generis agros sub coloniae iurisdictione fuisse docemur. Hinc minime mirum, si agros ad coloniam Beneventanam spectantes in Ligustino sitos fuisse videmus. Quamquam re vera de praefectura sive maiori quadam territorio agi equidem crediderim, eiusmodi aliquid indicare credens rem publicam Lignstinornm, de qua antea verba feci (cf. §. XIII). Quod autem ipsa vox *pertica* cum solo pago Aequano coniungitur, in Romano desideratur, minime obstat, cum per totam tabulam perticam Beneventanam, Beneventanum, fines Beneventanorum promiscue adhiberi viderimus (§. XIV). Quin pertica Beneventana III, 7 plane omittitur, qnamquam eadem res ibi indicatur. Cum enim pertica pagum semper antecedat, verbis IN LIGVSTINO pago Romano additis Ligurum pertica significari nequit, praesertim cum eorum territorium satis ipso tabulae indice declaratum singulis capitibus nunquam commemoretur.

Cum igitur pagos Romanum et Meflanum in Beneventano simul atque in Ligustino sitos fuisse viderimus, quos unam propterea limitationis faciem cum coloniis accepisse necesse est, deinde partes quasdam Lignstini agri perticae Beneventanae adscriptas fuisse exposuerimns, utramque, quae in coloniis deducendis observari solebat, limitationis rationem in his coloniis adhibitam esse apparet; id quod nihil difficultatis creat, cum pluries et ad Ligures et Beneventum coloniae deductae sint. Hoc quoque videtur constare, ad Beneventanam Neronis coloniam referendas esse, de quibus egimus, partes Ligustini agri perticae Beneventanae addictas.

XVI. Neque pagi solum ita divisi erant, ut dnabus

perticis addicerentur, sed ipsi fundi nonnunquam vel uni pago addicti, ex huius divisione duas perticas spectabant, vel ad duos pagos pertinebant, cum his aut duobus territoriis adscripti aut unam tantum perticam spectantes. Ita, quem iam citavimus, *fundus Aurelianus. Virtianus. Cornelianus in Veleiate. et. Liborn. pag. Moninate* (tab. Vel. IV, 35) uno pago, sed duobus in territoriis situs erat; duobus vero et pagis et perticis, praetermissis saltibus, quos ob ipsam eorum naturam pluribus perticis addictos fuisse consentaneum est (cf. ibd. III, 32; VII, 35), *fund. Antonianus. Collianus. Valerianus. Cornelianus. in. Veleiate. et. Libarnense. pagis. Martio. et. Albense.* (IV, 84), *Scaevianus Vercellense Placentino, Ambitrebio Veleiate* (V, 86). cet. In uno denique territorio, sed duobus pagis praeter saltus, quos praetermittimus (cf. VII, 57), Antonianus e. g. fundus collocatur, pagis scilicet Venerio et Lurate Veleiatibus (V, 50), eademque ratio, si fundos sitos fuisse legimus PAG. IVNONIO . SIVE . QVO . ALIO in Veleiate (IV, 59; 71): maior tum fundi pars in illo pago quaerenda est, cuius nomen additur, reliqua pluribus fortasse aliis. In tabula vero Baebiana huius rei unum modo exstat exemplum et ipsum coniectura ortum. Legimus enim in mutila illa columna prima (36) voces ET AEQVANO, ubi comparatis ceteris capitibus, quin pagi locus sit, dubium esse non potest, e copula vero *et* alterum quendam pagum deesse satis elucet. Ac fundorum quidem pluribus vel pagis vel perticis addictorum eadem fere, quae pagorum, ratio. In assignandis enim agris cum novi fundi formarentur, recta autem semper linea, ut vidimus, limites agerentur, antiquorum pagorum limites violarentur necesse erat. Accedit altera ratio. Satis apud omnes constat in coloniarum assignationibus certum aliquem agri modum unicuique colonorum datum esse, et, cum ad colonias tabula quoque Baebiana spectet, singulos in ea fundos ad eiusmodi assignationes referendos esse

et a primo possessore nomen accepisse dixerim; id quod ipsis fundorum nominibus probari videtur Latinis omnibus, excepto Vefaeano, quod ad veteres fortasse Oscos pertinet (II, 34). Nibilo tamen minus et in Baebiana et in Veleiatium tabula semper fere possessoris ab agri nomine diversum; soli Cn. Marcius Rufinus fundum Marcianum (II, 17), Nonius Restitutus Nonianum (III, 70) obligant. Quae res quamquam ita quoque explicari potest, ut nomen in prima agrorum divisione inditum fundis permanserit, cum novae coloniae eo deducerentur, alia tamen caussa videtur esse, qui iam dudum in Italia ingruerat, abusus ille perniciosissimus, quo unum possessorem sive pecunia sive vi acquisiti plurimi fundi spectabant, ita ut ex iis, qui initio agrum acceperant, posterisve eorum pauci etiam tum eum possiderent. Hinc in tabula Baebiana unus saepe possessor multos fundos obligat vel loco diversos vel in eadem regione sitos. Aliis praeterea fundis multa nomina adduntur, cuius rei e tabula Baebiana *fund Albianum Amarantianum Surianum Annianum* (II, 30) fundumque *Bassianum et Valerianum Caesianum Plinianum* (ib. 47) exempla affero, tabulam Veleiatem si inspexeris, plurima alia facile invenies; in qua ita e. g. legitur: *fund. Cassianum. Novianum. Rutilianum. Plautianum. Antonianum. Cocceiasium. adf. Albio. Secundo. et. Volumnio. Verecundio. Pag. Iunonio. sive. quo. alio. in Veleiate.* QVEM. *prof. est* (IV, 71; cf. 84; II, 75, I, 13, 15; 23, 31, cet.). Singulari autem pronominis numero omnes fundos illis nominibus designatos pro una, ut agrimensorum vocabulo utar, universitate habendos esse indicatur, quasi pro uno fundo e pluribus fundis composito, cuius singulae partes si magis quam universitas spectantur, pronomen plurali quoque numero nonnunquam ponitur (tab. V. IV, 59), quae ratio etiam tum obtinuisse videtur, cum voce *et* singula fundorum nomina distinguuntur. Haec vero sunt, de quibus Plinius (N. H. XVIII,

6, 7) conquestus est, latifundia. *Latifundia*, inquit, *perdidere Italiam*, quorum, qualia fuerint, optimam nobis imaginem reddunt tabulae, magis etiam Veleiatium, quam Baebianorum, cum maiora ibi terrarum spatia, ut in regione montuosa, ad singulos possessores pertinerent. Haec latifundia pagorum, perticarum fines transgressa, multos fundos possessionis vinculo ad unam, quam diximus, universitatem coniungebant, quae in publicis certe documentis omnibus illorum nominibus referebatur, quia ea sola in perticae forma scripta erant, ceterum autem, quasi unus fundus esset, una aestimationis adfiniumque nota designabatur. In tabulis vero Veleiate et Baebiana cum nonnulli fundorum, qui ad plures et pagos et perticas pertinent, pluribus nominibus designentur, diiudicari nequit, num ex colonica agrorum assignatione, an quod latifundiorum partes sint, altera eorum pars alteram rem publicam spectet. Id saltem pro certo affirmare licet, singulos, qui in eadem pertica duobus pagis addicti sint, fundos assignatione agrorum ita quasi distractos esse, cum in antiqua pagorum divisione non facile inter duos pagos agri divisi esse potuerint.

XVII. Nonnullis tabulae Baebianae (I, 40, 57; II, 2, 45; III, 7), multis tabulae Veleiatis capitibus inter adfines *populum* commemoratum invenimus litteris POP significatum, quibus dubium esse potest, num populus Romanus, an alius quis populus indicatus sit. Hoc constat, cuiusvis populi aut agrum aut vias publicas intelligendas esse. Ager vero publicus Romanus certo non est indicatus, cum Domitianus *subseciva, quae divisis per veteranos agris carptim superfuerant, veteribus possessoribus ut usucapta concesserit.* (Suet. Domit. 9; cf. Sic. Flaccus de condit. agror. p. 24 *de quibus (subsecivis) Domitianus finem statuit, id est possessoribus ea concessit;* Aggenus p. 50. *alia autem subseciva Vespasianus vendidit, alia autem, quae remanserunt, Domitianus donavit atque concessit;* cf. p. 59,

68). Neque municipiorum ager publicus indicatur, id quod eo potissimum tabulae Baebianae capite probatur (III, 6), quo fundi cuiusdam siti *in Ligustino adfines* afferuntur *res publica Liguslinorum et populus*, ubi, cum res publica haud dubie agrum publicum significet, voce populo eadem res exprimi nequit.—Magnas porro vias publicas sive militares populi Romani nusquam voce *populo* indicatas repperi, unde ne de his quidem cogitare licet. Contra, qui paullulum agrimensorum scripta perscrutatus erit, haud ignorat saepe in iis de itineribus *populo* praestandis sermonem esse. Praeter notissimam in libro de coloniis formulam *iter populo debetur* aut *non debetur*, commemorasse satis est Siculi Flacci verba (de condit. agror. p. 20), ubi de itinere populo a possessoribus per agros suos dando disputat, si villae eorum in limitibus positae sint; *omnes enim limites secundum legem colonicam itineri publico servire debent* (Frontin. de limit. agr. p. 43), quae res ab Hygino (de limit. constit. p. 152) sic exprimitur: *per hos* (decumanum et cardinem) *iter populo sicut per viam publicam debetur; ita enim cautum est lege Sempronia et Cornelia et Iulia. Quidam ex his latiores sunt pedibus XII, ut hi, qui sunt per viam publicam acti; habent enim latitudinem viae publicae.* Distinguuntur igitur viae publicae, populi videlicet Romani, a limitibus, per quos iter populo debetur *sicut* per viam publicam, qui nonnunquam tamen per illas acti sunt. Sigla igitur POP et Baebianorum et Veleiatium tabula semper populus eiusmet pagi declaratur, cuius finibus fundi, de quibus agitur, collocati sunt, minime vero ager eius publicus, sed itinera, quae ei debentur; viae potissimum quae dicuntur vicinales. Id quod eo quoque confirmatur, quod tabula Veleiate toties nota POP reperitur, ut vix fieri potuerit, ut tam multi agri via publica limitarentur, si ad magnas populi Romani vias vox *populus* spectaret. Vocabula antem *populus* et *publicus* etiam de municipiis in usu fuisse, apud omnes constat;

exemplum eius rei, quod minus fortasse notum est, inscriptionem quandam Tergestinam affero (Archeografo Triestino, I, p. 72), qua libertus quidam publicus Tergestinorum ob id ipsum Publicius dicitur:

Q . PVBLICIO . TERGESTE . L
FELICI . SEPTVMIA . SP . F cet.

sicut *Poblicius municipum Mediolanensium l. Alexander* apud Cardinalium exstat (diplom. p. 69, n. 100). Viae autem municipales ut pro municipiorum proprietate haberentur, rei natura effectum est; muniebantur enim per municipia. *Vicinales viae*, dicit Flaccus (de condit. agr. p. 9). . . *muniuntur per pagos, id est per magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt, aut, ut comperimus, unicuique possessori per singulos agros certa spatia assignantur, quae suis impensis tuentur*. Ad similem quandam rem titulus insignis Tuficensis referendus est, quem in actis Arcadum anni 1842 edidit Camillus Ramellius, Fabrianensium professor, quippe quo Aetrius quidam Ferox honoretur, quod *proxime petitioni* Tuficensium *ab optimo maximoque principe Antonino Aug. Pio vectigal viae silici stratae ita instituerit ut mature impetraretur et impendiis urbicis resp. beneficio eius relevaretur*. Quibus verbis apparet Tuficenses viam quandam silice stravisse, cuius impensae onus ut levaretur, ab imperatore iis permissum erat, ut vectigal transeuntibus imponerent. Viam autem, de qua agitur, populi Tuficensis, minime populi Romani fuisse, facile quisque concedet; quod si fuisset, fieri non poterat, ut vectigal imperator imponendum iis concederet.

Ceterum imperatorum aetate ad publicas populi Romani vias tuendas municipiorum nonnunquam opera exigebatur. Flaccus (l. l.), cum vias publicas dixisset esse, quae publice muniantur acceptis curatoribus et per re-

demptores, *in quarundam*, addit, *tutelam a possessoribus per tempora summa certa exigitur.* Hoc testatur titulus ad viam Appiam spectans, mutilus apud de Vita (Benev. p. 185), quem, sive eundem sive aliud eius exemplar, ad lapidem XLIV viae, quae a Neapoli Baros ducit, Brunnius denuo exscripsit:

IMP . CAESAR
DIVI . TRAIANI
PARTHICI . F . DIVI
NERVAE . NEPOS
TRAIANVS HADRIANVS
AVG . PONT . MAX . TRIB
POT . $\overline{\text{VII}}$. COS . $\overline{\text{III}}$
VIAM . APPIAM PER
MILLIA PASSVS
$\overline{\text{XV}}$DCCL LONGA
VETVSTATE AMIS
SAM ADIECTIS
HS · -$\overline{\text{XI}}$- · · $\overline{\text{LVII}}$ AD
HS $\overline{\text{DLXIXC}}$ QVAE
POSSESSORES . AGRO
RVM . CONTVLERVNT
FECIT

XVIII. Antequam ad singula tabulae capita explicanda accedamus, pauca monenda sunt de viris nonnullis in ea commemoratis, qui aliunde quoque nobis noti sunt. In qua re ita versandum esse duximus, ut, praetermissa universa gentium earum historia, regionis potissimum Beneventanae et Baebianae rationem habeamus, cum ad eam tantum tota haec dissertatio pertineat; praeterea hoc quidem loco de iis modo agamus, de quibus plura proferenda habemus, ceteros commentario singulis tabulae verbis addendo reservemus.

Ac de Plinio quidem satis iam disputatum est (cf. §. XIII). Sequitur, si capitum ordinem sequimur, Rutilius Lupus (II, 4), qui multa praedia in Beneventano et Baebiano possedisse videtur, cum inter adfines saepius eius mentio fiat (III, 2, 29, 36, 44). Rutiliorum frequens in fastis consularibus memoria.—Traiani tempore M. Rutilius Lupus Aegypto praeerat; hoc testantur duae inscriptiones Graecae a cl. Letronnio editae (Inscr. de l'Egypte p. 120 et 431), annum circiter 116 spectantes; nam idem ille est atque Lupus ille, qui ἡγούμενος τῆς ἁπάσης Αἰγύπτου Eusebio dicitur (hist. eccles. IV, 2, p. 141), qui ipso eo quem dixi anno eum commemorat. Aegypto equitem Romanum ex institutione Augusti ab imperatoribus praepositum fuisse non est quod moneamus, (cf. Dio LI, 17; LIII, 13; LVIII, 19; Tac. Ann. XII, 60; Hist. I, 11 cet.); ordine igitur equestri fuit M. ille Rutilius, et, si quidem idem fuit, vel eiusdem familiae, de qua re deficiente praenomine diiudicare non licet, tabulae Baebianae Rutilius Lupus.— Ceterum alia gentis Rutiliae apud Beneventanos vestigia exstant, Iunia Rutilia serva eius apud de Vit. cl. IX 147; M. Rutilius Aelianus decurio Beneventanus ibd. VIII, 2; P. Rutilius Crescentianus in titulo, quem Beneventi Brunnius exscripsit, Garruccius quoque edidit (p. 48):

D . M
CEIAE . PELA
GIAE . Q . VIX
ANN . XVIII . M
VIII.D . XXIII
P . RVTILIVS
CRESCENTIANVS
C . B M . F

Neratiorum in hisce Italiae regionibus multa monumenta exstant. Praeter Diadumenum (II, 8) Neratios Co-

Digitized by Google

rellium (II, 14) et Marcellum (II, 16; 52; 74; III, 60) ipsa tabula Baebiana exhibet. L. Neratio Proculo consuli, qui Antonini Pii aetate maxime floruit, a quo ad deducendas vexillationes in Syriam ob bellum Parthicum missus est, Saepinates monumentum posuerunt (Grut. 441, 4); C. Neratius Proculus ab Hadriano Venusinis curator operum publicorum, Kalendarii curator Nolanis ab Antonino Pio datus est (ib. 441, 5); Neratius Cerealis consul ordinarius, praefectus Urbi, Neratius Scopius posteriore aetate consularis Campaniae in inscriptionibus antiquis (Gr. 441, 3; 6; cf. Gnd. 95, 3), Neratius Priscus iurisconsultus saepissime in Digesto commemorantur.—Eorum autem, qui in tabula Baebiana leguntur, Diadumenus et Corellius noti non sunt; Marcellus consul ordinarius anni 856 fuit (cf. Burgh. Bull. 1835, p. 149), idem, ni fallor, a quo Plinius tribunatum se Suetonio Tranquillo impetrasse scribit (ep. III, 8). Post consulatum legatione Britannica functus est (Card. diplom. mil. t. XI).

Iulii Saturnini duo consulares noti sunt (Mur. p. 552, 2, Fellows de Lycia p. 410 n. 162=Secchi, sepolcro di Patrone p. 19, et Letronne, Bull. baronis de Férussac T. XI p. 471), quorum alter originis Asianae, alter secundum Burghesium aevi posterioris fuit. De iis igitur hoc loco verba facere supersedemus.—Liceat tamen titulum hic proferre a Braunio apud Depolettium nuper exscriptum, quo eiusdem nominis homo quidam laudatur.

*pa*NTHEO
AVG . SACRVM
T . IVLIVS
SATVRNINVS
PROC AVGVSTOR
ET . FAVSTINAE AVG

Procurator quidem Augustorum et Faustinae aliis, quod equidem sciam, monumentis notus non est, nullam

Digitized by Google

tamen difficultatem facit, quippe qui non ad administrationem imperii, sed ad privatum imperatorum et Faustinae patrimonium spectaverit; nam Faustinam iuniorem praedia quaedam una cum marito possedisse, ex figlinorum titulo (EX. PR*aediis*. AVRELI. CAES*aris* ET. FAVSTINAE. AVG*ustae*) satis constat.—Ceterum Iuliorum multi tum apud Baebianos tum Beneventi commemorantur (cf. II, 15; 18; 51; 53; III, 19; de Vita IX, 5; 35; 103; 135; 220).

Gentis Marciae frequens apud Beneventanos et in civitatibus vicinis memoria (cf. de Vit. II, 8; VIII, 10= Grut. 642, 10; Guar. Ecl. 138=Grut. 984, 8); quae quam multa praedia in illis regionibus habuerit, tabula Baebiana demonstrat, in qua, ut de Cn. Marcii Rufini capite plurimos fundos complexo taceam (II, 17 sqq.), plures quidem fundi Marciani commemorantur (II, 17; 69; III, 11; 26), pluries autem ipse Marcius Rufinus inter adfines refertur (II, 64; III, 19; fortasse quoque II, 76). Eiusdem cum hoc praenominis Cn. Marcius Cn. f. Rustius Rufinus sub imperatore Severo praefectus vigilum fuit (cf. Burghes. Bull. 1835 p. 149; de Vit. VII, 2 et 3; Kellerm. vigiles p. 30, 13, ubi vide ceteros); equestris igitur haec Marciorum familia.

Fundi Satriani duo inter praedia a Marcio Rufino obligata recensentur (II, 17; 23). Satrius Crescens v. c. curator rei publicae Beneventanae de thermis publicis ornandis bene meruit (de Vit. V, 9). Satrii Rufi oratoris Plinius mentionem facit (ep. I, 5); miles quidam Beneventanus L. Satrius Proculus apud de Vit. VII, 26 (=Fabr. p. 605, 48) commemoratur.

Noniorum gens celebris in hac Italiae parte. Nonium Restitutum fundumque Nonianum in Beneventano tabula Baebiana exhibet (II, 25; III, 70); Beneventi C. Nonius Chilo (de Vit. IX, 58=Grut. 986, 12) et T. Nonius Marcellinus v. c. (Donius V, 218=Gr. 357, 5), Aeclani alius

quidam Nonius (Guar. Eclano, continuazione p. 16) commemorantur. Venusiae porro P. Nonius Glitus duumvir de pecunia sua murum restituendum curavit (Or. 3268 ex Lupuli iter Venus. p. 337), notissima vero Herculanei familia Nonii Balbi (Or. 3280; Romanelli, viaggio II, p.86).

Gens Valgia (II, 37) inde a Syllanis temporibus in Hirpinis magna possedisse videtur praedia; Cicero enim in oratione de leg. agrar. contra Rullum c. 1., *sed ita latum est*, ait, *ut melior tui* (Rulli) *soceri* (qui fuit Valgius) *fundus Hirpinus sit sive ager Hirpinus,—totum enim possidet,—quam meus paternus avitusque fundus* (cf. Guar. Eclano, continuaz. p. 9). Ipsum autem Beneventum modo in Samnitibus modo in Hirpinis situm esse dicitur.

Munatii plures in monumentis Beneventanis (de Vit. II, 11; III, 9; IX, 16; 76), clarissimus eorum *L. Munatius Plancus cos. cens. imp. iter. qui agros divisit in Italia Beneventi, in Gallia colonias deduxit Lugdunum et Rauricam* (de Vit. IV, 15=Grut. 439, 8=Donat. 258, 3). Fundus Munatianus II, 37.

Octaviae gentis multi et Beneventi et apud Ligures, ut in coloniis Augustanis. Tabula Baebiana praeter fundum Octavianum (III, 78) Octavios Lybicum (III, 32), Martialem (III, 11), Proculum (III, 69) apud Ligures, Octaviam Venustam (III, 71) et [C.] Octavium Modestum (II, 39) in Beneventano exhibet, quibus e monumentis Beneventanis Octaviam Crescentinam (de Vit. IX, 12), Octavios Albanum, Ampelionem (ibd. 209=Grut. 987, 3), Iucundum (de Vit. ibd. 180) adiungimus. Ex his Octavius Modestus tabulae Baebianae aliunde quoque notus; vix enim dubito, quin in eius honorem monumentum positum sit, quod inter Beneventanas inscriptiones de Vita refert (IV, 17=Gr. 444, 5). Fuerat autem *augur. II. vir. i. d. quaest. II. praef. fabr. Romae praef. coh. II. Pannonior. praef. coh. III. Ityreor. trib. mil. leg. III. Scythic. curat. reip. Aecanor. item honoratus ad. curam. Kalendari.*

reip. Canusinor. a. divo. Traiano. Parthico. et ab imp. Hadriano Aug. Monumentum quidem ei positum, *quod opus quadrigae cum effigie imp. Hadriani Aug. citra ullius postulation. cum municipibus suis obtulisset ex argenti libris ∞ adiectis amplius libris DVII* (ita apud de Vitam legitur) *viritim populo X sing. distributis dedicari curavit;* cum vero summum honorem, id quod titulo apparet, iam a Traiano impetraverit, nihil sane obstat, quo minus in tabula Baebiana eum commemoratum esse credamus. Cui rei, si Garruccius recte legit, praenomen Caii novum argumentnm addit.

Gens Gavia (II, 41), freqnens per Italiae mnnicipia, (cf. e. g. Fabr. p. 127, 44=Grut. 416, 1; 258, 8; Maff. M. V. p. 354, 5; 6; cet.) Beneventi quoque et Aeclani summis honoribus functa est. M. Gavius Bassus aedilis (de Vit. III, 9=Grut. 439, 7), M. Gavins Sabinus scriba aed. i. d. praef. fabr. (de Vit. III, 11=Grut. 415, 9) apud Beneventanos, alius quidam M. Gavius duovir quinq. apnd Aeclanenses (Guar. continuaz. delle osservazioni sulle cose eclanesi p. 12) commemorantur.

Fundi Caerelliani (nam ita scribendum est etiam II, 53) gentem spectant Caerelliam his regionibus non amplius commemoratam. Prae ceteris, qui ad eam pertinent (Fabr. p. 173, 334 et 622, 192 et Grut. ind.), clarus est C. Caerellius Helvinus Pollittianns (Reines. VI, 18,=Fabr. p. 642, 363), cuius novum quendam titulum a Burghesio in actis academiae Taurinensis (1835, II, p. 50) editnm ob eius libri raritatem hic denuo profero:

HELVINI
C . CAERELLIO
POLLITTIANO . C . V
PROCOS . PROVINC
MACEDONIAE
BONCII . VICTORINVS
AGENTIVS . ET . BRVTTIO
PATRONO
INCOMPARABILI

Trebonium Primum (II, 62) in hac Guarinii inscriptione (de Taurasia p. 42, V) reperimus:

IOVI . OPTIM . MAX
L . TREBONIVS PRIM
AEDEM . HANC . CVM . POR
. . . . . .
P . C

ex qua hoc saltem consequi videtur, ad uobiles divitesque eius regiouis familias Trebouiam geutem pertinuisse. Beueventauus quidam L. Trebonius est apud de Vita IX, 18(=Gr. 710, 2).

Geutis Arelliae (II, 63) rara mentio. Praeter Fabrettii (p. 374, 170) D ARELLIVM uon uovi nisi duumvirum Pompeiauum tituli cuiusdam a Stephanio exscripti:

A.CLODIVS.A.F.FLACCVS.N.ARCAEVS.N.F.ARELLIAN.CALEDVS
D.V.I.D.MENSVRAS.EXAEQVANDAS.EX.DEC.DECR.

Vibbiorum sive Vibiorum multa mouumenta apud Beueveutanos, quorum summis muueribus functi suut (de Vit. II, 14; III, 6; 12; VI, 7; cf. IX, 8; 27; 84; 100; 132; 138; 143 cet.); uou miuus apud Aeclanenses (Guar. Eclano 131; 146; appendice 21; continuazione delle osservv. sulle cose eclauesi p. 8; 16 cet.). In tabula Baebiaua praeter Aneucletum Modestus (III, 53) exstat, fundus porro Vibiauus (III, 19), et, cum eadem sine dubio Bibbiorum geus sit (cf. Guar. Ecl. 132, ubi VIBIVS ALBINVS et BIBIA ALBINA eodem titülo leguntur; 152), tertius quidam Bibbius Faber, si Brunnium, Ferox, si Garruccium sequi malueris (III, 47). Cognomen Anencleti Burghesio, cum de tabula Baebiana scriberet, novum erat (Bull. 1835, p. 148); nunc inter titulos Tergestinos a Kandlero et Sforzio nuper editos (I, 6) Q. Octavium Anencletum repperi. Nomen a verbo ἐγκαλεῖν derivandum.

Digitized by Google

Consularis Umbriorum familia inter **Beneventanas** clarissima (Burghes. l. c. p. 149). Omissis ceteris (de Vit. VII, 12=Donat. 305, 6=Fabr. III, 79; IX, 26= Gud. 248, 2; IX, 71=Gr. 829, 6; IX, 84; Guar. Tauras. p. 42) C. Umbrium Servilium Iustum nomino, decurionem Beneventi (de Vit. III, 18=Donat. 264, 4), C. Umbrium Vibium Numisium Drusum patronum rei publicae (de Vit. VI, 9=Gud. 207, 4,=Doni 351, 34=Mur. 521, 1= Donat. 233, 5), C. Umbrium Eudrastum patronum coloniae Beneventanorum (de Vit. VI, 3=Donat. 233, 3= Mur. 2016, 4). C. Umbrium denique Eudrastum Fortunatum titulus exhibet templo cathedrali Compsano affixus, quem e schedis F. Cassitti descriptum Brunnius mecum communicavit:

C . VMBRIVS . EVDRASTVS
FORTVNATVS . IIIIVIR
MENSVRAS . LEGĖ . CIVITATIS
PROPRIO . SVMPTV

Vediorum sive Veidiorum (III, 22) gens inter Beneventanas clara. P. Veidius. P. f. Pollio Caesareum Caesari Augusto et coloniae Beneventanae dedit (de Vit. I, p. 264 sq.); quem de Vita pro eodem habet, qui Pausilypum villam Augusto legavit, famosus ob crudelitatem in servos (cf. Dio LIV, 23; Plin. IX, 23, 53; Seneca de clementia I, 18). Alii aliis inscriptionibus noti (de Vit. II, 11; 13; IX, 80 cet.), quibus adiungo fragmentum Brunnio Beneventi exscriptum:

. . . . *v*EDIVS PRISCVS
*f*ECI HEREDES FILIO*s* ME
*o*S IS QVI NOMEN MEVM
TVLERINT CVM NEPOT
ES EORVM HORTVM
TABERNAM CENACV
LVM QVOD SI ANIMA
LIVM FILIS MEIS ALIQV
. . . .

XIX. Iam vero ad ipsa tabulae Baebianae capita explicanda transeo, de quibus brevius agere licebit, cum de praecipuis, quas praebent, difficultatibus satis in praemissa dissertatione disputatum sit. Ita autem in ea re versabimur, ut tabulae verbis, qualia ex Brunnii potissimum apographo a nobis recepta sunt, et Guarinii et Garruccii in appendice lectiones addamus, caussis, cur has reiecerimus, illas adoptaverimus, breviter, ubi iis opus est, adiunctis, ad res autem explicandas quae habemus hic iam afferamus. Et primum quidem tabulae indicem quamquam antea iam propositum hic repetere liceat:

Imp. Caes.] *Nerva. Traiano. Aug.* [*Germanico*] *IIII* [*Q*] *Articuleio. Paeto* [*II. cos.*] | [*ob. liberalitatem. optim*]*i. maximiq. principis. obligarunt. pra*[*ed. ex. proposit*]*o. Ligures. Baebia* [*ni und*]*e ex indulgentia. eius. pueri. puaellaeq. a*[*limenta a*]*ccipiant.*

In versibus hisce restituendis Burghesium (Bull. 1835 p. 147) secutus sum, nisi quod pro PRA*edia de proprio, ex proposito* scripsi. Litterarum enim imagine, quam et Guarinius et Garruccius editionibus suis addiderunt, apparet exiguum litterae fragmentum, quod ante IO reliquum est, lineae rectae frustum esse. De ipsa re antea locutus sum (§. XIV). De Cornelianis ex tabula reiectis v. §. XIII.—Quarti versus principio ante vocem EX et Guarinii et Brunnii apographa litteram E exhibent; Garruccius T, Burghesii fortasse auctoritate motus, qui parum, ut aequum erat, exemplari Guariniano confisus, cum Kellermanno *ut* receperat; quod sane melius ac facilius. Plus tamen equidem Brunnii diligentiae, quam Garruccii, tribuendum esse censeo; quamobrem *unde* in tabulam recepi, licet ita formatae litterarum notae in tabula Baebiana sint, ut facile T et E commutari possint, praesertim statim post lacunam inque margine inaequali.—Post vocem *Baebia* lineola quaedam in alto posita interruptum esse vocabulum indicat.

Consulem in tabula commemoratum *Q* neque *Sex*. Articuleium dictum fuisse Burghesius (l. l.) lapide quodam antiquo probavit, qui, eo quidem tempore nondum publici iuris factus, in Arcadum actis postea editus est (LVI, Sept. 1832). Exstat Viennae in Delphinatu:

ANNO
IMP . CAES . NERVAE
TRAIANI . AVG
GERMANICI . IIII
Q . ARTICVLEI . PAETI . II
COS
PONTIF . EX . STIPE

Digitized by Google

Col. I. 1—4 [*Debentur a . . . . Epityn*]*cano* [*obligatione fundi. . . . , (pertica. . . . ?), pago. . . . , adfine. . . , aestimati*] *sestertium* 172000 [*in sestertium* 15000; *numerant*] . . . *r et Pro. . . —sestertii* 375.

5—7 [. . . *fundi L*]*olliani . . . adfine Caesio,* [*aestimati sestertium . . . in*] *sestertium* 6000—*sestertii* 150.

8—10 . . . *pertica* [*Beneventana?, pago . . . , adfine Man*]*lia, aestimati* [*sestertium. . . in sestertios* 10660]—*sestertii* 266 ½.

11—14. . . . . . *pertica, adfine (?) Tru* . . . . . . [*pertic*]*a Nolana,* . . . . [*adfine.* . . . . *Pu*]*dente* . . . . . [*aestimati* . . . . *in sestertios* 11720; *numerat* . . . *M*]*anlia—sestertii* 293.

16—18 . . . . *fundi* . . .]*iniani* . . . [*aestimati*] *sestertium* 50000 *in* [*sestertios* 5460]—*sestertii* 136 ½.

Col. I.

1. Burghesius legit *Lucano;* cum vero Br. N scripserit et aliorum exemplaria litterae N potius quam V frustum exhibere videantur, fortasse *Epityncano* pro Epitynchano scribendum est. Est autem cognomen possessoris, cui si praenomen et nomen addideris, id efficitur, ut vix pluribus vocibus, quam verbo *debentur* et particulae *a* ante ea locus sit. Sequi debebat genitivus fundi cum adfinis et perticae nota, deinde aestimatio, quam secundo versu legimus.

3. ORETPRO, cum post aestimationem summamque acceptam legantur, vix aliud quidquam significare possunt nisi homines, qui *numerant;* nam praeter $\overline{\text{N}}$ notam cum nominativo coniunctam eo loco nihil in tabula Baebiana reperies. Nec obstat, quod duo sic commemorantur, cum $\overline{\text{N}}$ FILI alio capite Br. legerit; quae lectio etiam Guarinii litteris NNII eo saltem confirmatur, quod in fine I illae quoque exhibent, dum Garruccii FILO pro *Philo* vix ferri potest.

6. *Caesio.* Fundi Caesiani II, 27 et 48 in Beneventano commemorantur; ibidem frequens gentis Caesiae memoria; cf. de Vit. II, 17; IX, 98. Veiis eam gentem floruisse Caesii Athicti titulis constat (Or. 3448; 3706; 3738); in Piceno Caesius Silvester notissimus.

11. CA. Licet nesciam, quo modo vel pertica vel res publica hoc loco commemorari potuerit, cum vox illa nomen semper antecedat, alia tamen explicatio in mentem mihi non venit.

12. De pertica Nolana cf. §. XIII.

19. OQEIN v. § XIV.

Digitized by Google

19—25 . . . . *fund*]*i qui est in* [*Beneventano ? . . . adfinibus* . . .] *te et* [*populo*] . . . *one rec* . . . [*in Ligu*]*stino nes (?) orianum* . . . [*pago Mefl?*]*ano adf. Na*[*sennio?...aestimati sestertium*. : . . *in sestertium*. . .

26—28 *item fundi*. . . . *adfine*. . . .] *nia aestimati* [*sestertium* . . . *in sestertium* . . . *fiunt*] *sestertium* 68000 [*in sestertios* 6320; *numerat* . . . *N*]*eronianus—sestertii* 158.

29—35. . . . *fundi*] *Numesi*[*ani*. . .] *Caerellia*[*ni*. . . *in B*]*eneventan*[*o pago* . . .] *adfine* [. . . *aestimati sestertium* . . . *in sestertium* . . . *item fundi* . . . *aestimati sestertium* . . . *in sestertium* . . . *fiunt*] *sestertium* 86000 [*in sestertium* 10000]—*sestertii* 250.

36—41. . . . *fund*[*i qui est in* [*Beneventano?* . . . . *adfinibus Ni*]*gro et* [*populo, aestimati sestertium*] 36000 [*item fundi* . . . . . . *L*]*olliani*. . . . . . *aestimati sestertium* 57000 [*fiunt sestertium* 93000 *in sestertios* 6400; *numerat Iul?*]*ius Maximus—sestertii* 160.

42—45. . . . . *fundi* . . . .]*ni in Be*[*neventano, pagis* . . . .] *et Aequano* [*adfine re publi*]*ca Ligurum* [. . . *aestimati sestertiis*] 44200 [*in sestertium* 4000]—*sestertii* 100.

47—49 . . . *fundi* . . .] *in Bene*[*ventano, pago* . . . , *adfinibus* . . . . *Primig?*]*enio et populo* [*aestimati sestertium* . . . . *in sestertios* 2600]—*sestertii* 65.

50—54 . . . *fundi* . . . [*aspidiani*[. . . *pa*]*go Martia*[*le, adfine* . . . . , *aestimati*] *sestertium* 72000 [*in sestertium* . . . . *item fundi*] *finibus* [*Beneventanorum, aestimati se-*

23. *Orianum* vel *oreanum* fundum vix indicare potest; nam etiamsi in prima columna aliam quis verborum consecutionem observatam esse credit, fundos saltem in ea quoque genitivo casu positos esse, e. g. versus 5, 16, 49 demonstrant.

37. *gro*. Minime de agro vel Beneventano vel Ligustino cogitare licet, cum nunquam in tabula hoc vocabulum adhibeatur. Est potius adfinis cuiusdam nomen, ut *Nigro*.

44. *ca Ligurum*; cf. §. XIV. *Pertica* legi non potest, cum fundi ei adscripti sine territorii nota commemorentur; est *adfine re publica* cet.

stertium . . . . in sestertium . . . . fiunt sestertium . . . . in sestertium] 15000; *numerant filii—sestertii* 375.

55—60. . . . *fundi . . . .*] *iani* [. . . . *adfine . . .*] *gino, aestimati cet. . . . i*] *tem fund* [. . . . *finibus Beneventano*]*rum, adfine . . . . aestimati sestertium . . . . in sestertium . . . fiunt sestertium* . . . 2] 5000 *in* [*sestertium* 2000]*—sestertii* 50.

61—65 . . . *et* . . .] *briso* [*fundi. . . . pago. . . . adfine . . .*] *artino* [*aestimati sestertium . . . in sestertium . . . ite*]*m fund* [. . . *pago . . . adfine . . .*] *aestimati sestertium* [. . . *in sestertium . . . fiunt sestertium . . . in sestertium* 13000 ; *numerat (servi nomen)*] *Rufi—sestertii* 325.

66—79 . . . *fundi*] *qui est in* [*Beneventano, pago . . . adfinibus . . . .*] *lo et populo* [*aestimati sestertium . . . . item fundi. . . . a*] *est sestertium* 60000 [*fiunt sestertium . . . in sestertios* 5500; *numerat . . . u*] *s filius—sestertii* 137 ½

70—72 . . . . *fundi . . . . pertica Be*]*neventana, pago . . . adfine Lo*]*llio Vitale* [*item fundi . . . . adfine supra scripto aestimati . . . in . . . fiunt sestertium . . . in sestertium* 4000, *—sestertii* 100.

74—78 . . . . *fund*]*i qui est in* [*Beneventano, pago Aequano? in Li*]*gustino* [*aestimati sestertium . . . in sestertium . . . item*] *fundi Cae*[*liani? aestimati sestertium . . . fiunt sestertium . . . . in*] *sestertios* 3 [340]*—sestertii* 83 ½.

79—80 . . . . *fundi . . .*] *ani cum casis, pago . . . adfine Pl*]*inio Secun*[*do, aestimati sestertium* 65000, *in sestertium. . . .*

Col. II. 1—4 *item fundi Pastoriani, pertica Beneventana, pago Aequano, adfine Priscia Restituta et populo, aestimati sestertium* 60000. *fiunt sestertium* 125000, *in sestertium* 8000; *numerat Callistus Rutilii Lupi—sestertii* 200.

Col. II.

2. De *populo* cf. §. XVII. 3. F. *fiunt*, ex tabulae Veleiatis exemplo *fit summa utraque*; cf. Burghes. Bull. 1835 p. 150.—Callistus servus Rutilii Lupi, qui fortasse fundos obligatos a possessore conduxerat; cf. §. XIV.—De Rutilio Lupo §. XVIII.

5–7 *Crispia Restituta, fundi Pomponiani, pertica Beneventana, pago Aequano in Ligustino, adfine Nasidio Vitale, aestimati sestertium* 50000, *in sestertios* 3520—*sestertii* 88.

8–10 *L. Neratio Diadumeno, fundi Rubriani in Beneventano, pago Ligustino, aestimati sestertium* 34000, *in sestertios* 1000—*sestertii* 25.

11–13 *T. Amunio Silvano, fundorum Trebelliani et Aeliani cum circeis, pago Romano, aestimatorum sestertium* 46000, *in sestertium* 4000—*sestertii* 100.

14–16 *Neratio Corellio, fundi Pacciani et casae Aureliani, adfine Iulio Saturnino, aestimatorum sestertium* 22000, *in sestertium* 2000. *numerat Neratius Marcellus—sestertii* 50.

5. Gentis Pomponiae in regionibus Benevento vicinis mentio apud de Vit. cl. IX, 68, et Guar. mon. Ecl. p. 11.

6. De Ligustino cf. §. XV.

8. De Neratiis cf. §. XVIII.—Rubrios in his regionibus aliunde haud cognitos tabula Baebiana inter adfines bis nominat, nescio an eundem virum bis designans, qui cum III, 40 simpliciter Rubrius dictus sit, deinde Rubrius Primus (III, 42) dicitur. De qua re melius diiudicare potuissemus, si pagi nomen non excidisset (III, 41).

9. De pago Ligustino in Beneventano cf. §. XV.

10. De adfine omisso cf. §. XIV.

11. Aeliorum multi apud Beneventanos commemorantur, libertini generis plerique, ita ut ad Aeliorum imperatorum aetatem spectare videantur; cf. de Vit. IX, 2; 33=Gr. 656, 11; 121=Mur. 1290, 5; 212; Fabr. III, XIV.

12. Vox *circei* vel *circea* nusquam, ne apud medii quidem aevi scriptores, exstat. Quamquam particula *circa, circum* facile in mentem tibi venerit, ita ut pro muris vel sepibus, quibus fundi cincti sint, vocabulum usurpari coniicere fortasse liceat. Cum, etiamsi vera est haec coniectura, pretium fundi haud dubie etiam muris vel sepibus augeatur, mirum non est, quod in tabula eorum mentio fit.

14. Casas aedes esse rusticas, in quibus servi et villici vivebant, satis constat; cf. de Lama, tab. Vel. p. 35.

15. Fundis nomen per adiectivum additur a nomine plerumque gentili derivatum; contra nomina casarum, nisi, ut hoc capite et II, 54 (casa Crispinilli), possessoris nomen genitivo casu adiungitur, a cognominibus possessorum petuntur; cf. casa Popillianica II, 60 et Labeonica turricula III, 22, quamquam casae Eburcianae (tab. Vel. VI, 30) non semper hoc observatum esse ostendunt.

17 29 *Cn. Marcio Rufino, fundorum Marciani et Satriani, aestimatorum sestertium* 140000*; item fundi Iuliani, aestimati sestertium* 14000*; item fundi Avilliani, aestimati sestertium* 42000*; item fundorum Vitelliani et Nasenniani et Marcelliani, adfine Suellio Flacco, aestimatorum sestertium* 70000*, in sestertium* 10000*; item fundorum Curiani et Satriani, pago Herculaneo, adfine Tettio Etrusco, aestimatorum sestertium* 35000*, in sestertium* 3000*; item fundi Balbiani cum casis, pago Meflano, adfine Nonio Restituto, aestimati sestertium* 110000*, in sestertium* 10000*; item oblegatione nona, fundi Caesiani in Beneventano, pago Luciano, adfine Messio Apro, aestimati sestertium* 50000*, in sestertium* 3000*; fiunt sestertium* 466000*, in sestertios* 32440 *—sestertii* 1061.

30—33 *L. Tettio Etrusciano, fundi Albiani Amaran-*

17. sq. De Marciis, Satriis, Noniis v. §. XVIII.—Avilliorum, Vitelliorum, Marcellorum in bis regionibns nulla vestigia.—Nasennia quaedam Insta apnd de Vit. III, 11=Gr. 415, 9.—De gente Suellia (21) cf. Burgh. Bull. 1835, p. 149; rara eius mentio est. Beneventanum eins titulum v. apud de Vit. IX, 188; CN. SVELLIVS || EVTICHES || LDDD || CVM SEDIBVS legitur apud Gnar. Tanrasia p. 40.

22. Curiorum his regionibus nullnm vestiginm (cf. II, 37).

23. Pagi de Herculis nomine appellati in tabula quoque Veleiate (Herculanins qui et Hercianius, cf. de Lama, index p. 168) et in decreto pagi Herculanei (Or. 3793=Mazocchi tab. Heracl. p. 399= Mur. 290, 2) exstant.— Tettins Etruscus et S. Tettius Etruscianus (II, 30) in titulo Baebiano leguntur, hic fortasse illius libertus vel alio quo propinquitatis vincnio cum eo coniunctus. Capnae Tettius quidam Alexander inter decuriones commemoratur (Maff. M. V. p. 474, 10=Donat. p. 265, 4); quaestorem alimentorum Tettium Rufum antea attulimns (§. VIII).

24. Cum fundi plerumque de nominibus gentiliciis appellati sint, gentem Balbiam fundus Balbianus apnd Ligures fuisse demonstrat, nisi de cognomine interdum nomina iis indita esse maiueris; id quod fundi Primigenianus (II, 65) et Amarantianus (II, 30) et Bassianus (II, 45) testari videntnr, cum Primigenius, Amarantus, Bassus cognomina fuisse constet.

30. Fundi Albiani duo in tabula B. obligantur, hic quidem pago Saecuiano, pago Albano alter (III, 37). Beneventi titulum sepulcralem M. Albii legionis XXX signiferi de Vita refert (VII, 8).—Hic et in

tiani Suriani Anniani in Beneventano, pago Saeculano, adfine Mario Restituto, aestimati sestertium 150000, *in sestertium* 12000—*sestertii* 300.

34—36 *Titio Aiace, fundi Vefaeani in Beneventano, pago Romano in Ligustino, adfine Caesare nostro, aestimati sestertium* 14000, *in sestertios* 1000—*sestertii* 25.

38—42 *Valgia Secunda, fundorum Curiani et Munatiani in Beneventano, pago Mefano, adfine Octavio Modesto, aestimatorum sestertium* 23000; *item fundi Profiani in Beneventano, pago Caelano, adfine Gavia Myrtale, aestimati sestertium* 24000; *fiunt sestertium* 48000, *in sestertium* 4000 —*sestertii* 100.

43—46 *L. Longio Pyramo, fundi Sestiani, finibus Beneventanorum, pago Romano, adfinibus Metelio Marcello et populo, aestimati sestertium* 20000, *in sestertios* 1680—*sestertii* 42.

47—50 *Annio Rufo, fundorum Bassiani et Valeriani Caesiani Pliniani cum saltibus* 25, *pertica Beneventana, adfine Caesare nostro, aestimatorum sestertium* 451000, *fiunt* (pro *in*) *sestertium* 14000—*sestertii* 350.

sequentibus, ubi nomina sine copula complura fundis annexa sunt, scribo *fundi—aestimati*, eadem ratione, qua in tab. Vel. legitur: *fundum . . . . . . qui est;* cf. §. XVI.

31. Gentis Anniae Annius Rufus in tabula legitur (II, 47), qui in pertica Beneventana fundos magnos, ut videtur, possidebat. Annia Sabina Tranquilla Beneventi apud de Vit. IV, 23=Mur. 1034, 3.

34. Titius quidam Urbicus de Vit. IX, 87=Gud. 302, 5.

38. De pago Mefano cf. §. XV.

40. Gens Profia aliunde non est nota.

41. De Gaviis cf. §. XVIII.

43. De gentibus Longiorum et Sestiorum nullae his quidem regionibus notitiae.

45. De nota POP cf. §. XVII.

47. De Anniis v. II, 31; de Valeriis III, 17; de Caesiis I, 5; de Pliniano fundo §. XVI.

48. Saltus saepissime in tabula Veleiate commemorantur, ita tamen, ut singulis nomina addantur, ipsi autem saepe saltus dicuntur sive fundi. *Quos agros*, dicit Varro (L. L. IV, c. 4), *non colebant*

51—52 *C. Iulio Saturnino, fundi Publiani, adfine Neratio Marcello, aestimati sestertium* 80000, *in sestertium* 7000 —*sestertii* 175.

53—58 *Iulia Hecate, fundorum Coroniani et Caerelliani et casae Crispinilli, pago Romano, adfine Caesare nostro, aestimatorum sestertium* 29000, *in sestertium* 2000; *item fundi Clodiani, pago Herculaneo, adfine Turtilio Lupo, aestimati sestertium* 23000, *in sestertium* 2000; *fiunt sestertium* 52000, *in sestertium* 4000—*sestertii* 100.

59—61 *P. Camurio Fortunato, fundi Lusiani et casae*

propter silvas aut id genus, ubi pecus possit pasci, et possidebant, ab usu suo saltus nominarunt; Festus vero: (s. v.) *saltus est, ubi silvae et pastiones sunt, quarum caussa et casae quoque. Si qua particula in eo saltu pastorum aut custodum caussa aratur, ea res non perimit nomen saltui, non magis quam fundi, qui est in agro culto et eius caussa habet aedificium*. Ceterum numerus XXV ostendit in tabula Baebiana vocabulo *saltus* mensuram quandam terrae indicari, quamquam de saltibus agrimensorum sermo ibi non est. Sicut fundus portionem quandam indicat agri culti, ita saltum pascuorum portionem significare credo; ita est apud Cic. Quinct. 6 extr. *Quinctius contra ius de saltu agroque communi vi detruditur*, et Iuvenalem VII, 188: *unde igitur tot Quinctilianus habet saltus?*

49. *adf. Caes. n.* spectat ad patrimonium Caesaris sive possessiones imperatoris privatas. In tabula Veleiate idem voce IMP et IMP. N̄ designatur. In tab. Baeb. cf. II, 54; III, 5; 25.

50. De F pro IN cf. §. XIV.

51. De Iulio Saturnino et Neratio Marcello v. §. XVIII; de gente Publia cf. indicem Grut.

53. Gentem Coroniam aliunde non novi.—De Caerelliis cf. §. XVIII.

54. Crispinus et Crispinillus cognomina satis nota; de casis non de nomine gentilicio appellatis cf. ad II, 45.

56. Clodiae gentis Clodius Conveniens II, 65; Beneventi A. Clodius Medicus (de Vit. VIII, 3=Gr. 633, 8), Clodius Octavianus v. c. (ib. V, 10=Gr. 193, 2), Clodius Celsinus (ib. IV, 22=Mur. 1032, 5).—Gentes et Turtillia et Furtillia mihi quidem ignotae; auspicari possis legendum esse T RVTILIO LVPO, littera R transposita, nisi obstaret et praenomen adfini additum et duplex L, quae apud Brunnium legitur.

59. Camuriorum gens in Piceno celebris, quamquam haud ignota in ea Italiae regione, ad quam tabula Baeb. pertinet; cf. Guar. Tauras. p. 45.—Lusiam v., apud Grut.

Digitized by Google

Popillianicae, pago Mefano, adfine Valerio Valeriano, aestimatorum sestertium 80000, *in sestertium* 7000—*sestertii* 175.

62—64 *Trebonio Primo, fundorum Apuleiani et Cassiani et Arelliani, pago Mefano, adfine Marcio Rufino, aestimatorum sestertium* 100000, *in sestertium* 9000—*sestertii* 225.

65—68 *Clodio Conveniente, fundorum Primigeniani et Alliani et Sutoriani et Suelliani, pago Salutare, adfinibus Suellio Flacco et Rufo, emptorum sestertium* 108000, *in sestertium* 9000—*sestertii* 225.

69—71 *L. Statorio Restituto, fundi Marciani cum parietinis, adfine Caesare nostro, pago Salutare, aestimati sestertium* 25000, *in sestertium* 2000. *numerat Comicus—sestertii* 50.

60. Popilliorum gens notissima; de cuius nomine Popiliiani cognomen formatum, ex quo *casae Popillianicae* appellatae sunt. Guarinii explicatio lectionis suae non minus falsa quam ingeniosa.

61. De Valeriis cf. III, 17.

62. De Trebonio Primo v. §. XVIII.—Gentis Apuleiae nullum in Beneventano et Baebiano vestigium aliud; Cassiae pagus Cassiae (III, 30) magnam in illis regionibus auctoritatem fuisse documento est.

63. De Areiliis cf. §. XVIII.

66. Gentis Alliae Allia est Felicitas apud de Vit. (IX, 211= Gr. 747, 4); Sutoriae M. Sutorius Verus, quem eo ipso tempore vixisse cum bellum Germanicum et Dacicum, quo votum *Iovi Victori Pacifero* conceperat, tum coniugis Sutoriae Ulpianae nomen demonstrarent (de Vit. I, 2), nisi e schedis Ligorianis titulus proveniret, ita ut eum laudare vix fas sit.—De Suelliis cf. II, 21.—

67. Duo per exceptionem adfines notantur, quod fundus, ni fallor, vicinus ad duos possessores spectabat, ut duae Statoriae (III, 45), duo Antistii (III, 62) inter eos leguntur, qui obligant. Obstat, quod *Suellio* neque *Suelliis* scriptum est.

69. Gens Statoria denuo III, 45 nominatur; de Marcia cf. §. XVIII.

70. Parietinarum vocabulum optime Burghesius (l. c. 149) explicat, qui muros eos esse dicit, quales in regionibus montuosis Italiae adhuc ubique cernere licet, quibus agrorum solum in locis declivibus sustentatur. Quos *muri a secco* Itali dicunt, cum congestis lapidibus sine calce plerumque exstructi sint. Quam explicationem etiamsi non adoptare deque muris, quibus fundi cinguntur, cogitare malueris, quales apud Nonium (II, 56) parietinae dictae esse videntur, hoc saltem concedes, de aedificiis semirutis sermonem in tabula Baebiana esse non

Digitized by Google

72—74 *L. Vibbio Anencleto, fundi Flaviani, pago Meflano, adfine Neratio Marcello, aestimati sestertium* 30000, *in sestertios* 2500. *numerat Hedone—sestertii* 62 ½.

75—79 *Naevio Vitale, fundi Flaviani, pago Meflano, adfine Marcio Rufo, aestimati sestertium* 27000, *in sestertios* 2340; *item fundi Aquiliani, pago supra scripto, adfine Umbrio Primo, aestimati sestertium* 40000, *in sestertium* 3000; *fiunt sestertium* 84000, *in sestertios* 5340—*sestertii* 133 ½.

Col. III. 1—3. . . . . . *Feroce, fundi Valeriani Vascliani cum [parie]tinis, pago Martiale, adfine Rutilio Lupo, [aes]timati sestertium* 50000, *in sestertium* 4000—*sestertii* 100.

4—5 *Pe]tronio Primigenio, fundi Deciani, pago Martiale, adfine Caesare nostro, aestimati sestertium* 30000, *fiunt* (pro *in*) *sestertium* 2000—*sestertii* 50.

6—8 *A. Plotio Optato, fundi Camuriani, pago Romano in Ligustino, adfinibus re publica Ligustinorum et populo, aestimati sestertium* 18000, *in sestertios* 1000—*sestertii* 25.

posse, quamquam ea vocabulo illo indicari plerumque creduntur. Plurimis enim quae sequuntur capitibus *parietinae*, quin *casae et parietinae* una commemorantur (III, 23); et mirum sane esset, si aedificiorum quae diximus semirutorum in obligationibus mentio fieret.

72. De Vibbiis cf. §. XVIII.

75. Naevia gens Beneventi et Aeclani florebat; cf. de Vit. IX, 93; 134; Guar. Ecl. 133.

77. Aquiliorum his quidem regionibus nulla alia memoria exstat.

78. De Umbriis cf. §. XVIII.

Col. III.

1. *Vasclianus* vix nomen Latinum, non magis *Vislianus*.—De Valeriis cf. ad III, 17.

4. Decianus campus est III, 31.

5. F, errore orta, pro IN; cf. §. XIV.

7. REIP. scalptoris mendum; cf. ibd.—pagus Romanus in Ligustino v. §. XV; de re publica Ligustinorum §. XIII.—*pop.* §. XVII.

Digitized by Google

9–10 *P. Tintorio Felicione, fundi Calani cum parietinis, adfinibus supra scriptis, aestimati sestertium* 35000, *in sestertium* 3000– *sestertii* 75.

11–12 *Q. Octavio Martiale, fundi Aureliani Marciani, pago Articulano, aestimati sestertium* 92000, *fiunt (in) sestertium* 8000–*sestertii* 200.

13–16 *M. Caelio Flacco, fundi Antiqui, adfine Villio Flacco, aestimati sestertium* 25000, *in sestertium* 2000; *item oblegatione nona, fundi Carpiani, pago Salutari,* [*adfine*] *Villio Flacco, aestimati sestertium* 50000, *in sestertium* 4000; *fiunt sestertium* 75000, *in sestertium* 6000–*sestertii* 150.

17–20 *C. Valerio Pietate, fundi Herculeiani, adfine Caesare nostro, aestimati sestertium* 25000, *in sestertium* 2000; *item oblegatione nona, fundi Vibiani, pago supra scripto, adfine Marcio Rufino, aestimati sestertium* 15000, *in sestertios* 1500; *fiunt sestertium* 40000, *in sestertios* 3500–*sestertii* $87\frac{1}{2}$.

9. Gens Tintoria uno tantum, quod sciam, titulo exstat (Gr. 169, 1).—M. quendam Caium v. Gr. 575, 1.

11. De gentibus hoc versu commemoratis cf. §. XVIII.

13. Caelium Maximum v. III, 54; Caelii apud Beneventanos (de Vit. IX, 109; 208) et Aeclanenses (Guar. Ecl. p. 132, VIII); apud illos C. Caelius Bassaeus Donatus summis honoribus municipalibus functus est (de Vit. III, 16).—Villiorum praeter Flaccum Modestus quidam in tabula Baeb. commemoratur (III, 50).—*fund. Antiqui:* fundorum appellatio cum de possessoris nomine non ducitur, investigari nequit. Pauca quidem eius rei in tabula Baeb. exempla; (cf. *fund. paternum* III, 35; fortasse *fund. familiarem,* si ita legendum est (III, 53); plura apud Veleiates, ubi conferas Amudim (III, 37), Tuliarem (III, 30; 70), Ascevam (IV, 80), alios multos.

17. Valerii praeter Pietatem Valerianus (II, 61) et Primus (III, 48), fundi vero Valeriani tres (II, 17; III, 1; 47) commemorantur; compiures eiusdem gentis in inscriptionibus Beneventanis leguntur (de Vit. IX, 34; 101; 161; 208); ad Baebianos spectat fortasse C. Valerius Arsaces (Guarinius, Tauras. p. 11).—De cognominibus virorum feminini generis disseruit Marinius, Arv. p. 323, qui *Aequitatis* nomen omisit (Fabr. III, 171; VII, 379=Doni I, 96). Pietatis cognomen per L. Antonium triumviri fratrem ceteris magis innotuit (cf. Dio XLVIII, 6).—Gentem Herculeiam in inscriptionibus antiquis reperire mihi qui-

21—23 *Re publica Baebianorum, fundorum Iuliani maioris et minoris et Vediani, Labeonicae turriculae, aestimatorum sestertium* 100000, *in sestertium* 10000—*sestertii* 250.

24—27 *Ceio Vestigatore, fundi Manliani, pago Fasciano, campi Calediani, adfine Caesare nostro, aestimati sester-*

dem non contigit; cum vero et Herculia (Gr. 1077) et Herculania (ib. 714, 8; 807, 12; Mur. 344, 3) notae sint, Brunnii lectio haud dubie Garruccianae praeferenda est.

22. De Vediis v. §. XVIII.—Labeonicam turriculam facile pro re obligata aliquis accipere potuerit, sicut in tab. Vel. (II, 32) solae casae obligantur; obstat tamen, quod sine *et* vel *item* fundis adiungitur. Neque aliud quidquam, quod conferri possit, in tabula Baebiana mihi se obtulit, nisi CAMPVS CALEDIANVS (III, 25) et CAMPVS DECIANVS (III, 31), qui itidem casu genitivo, hi quidem post commemoratum pagum, qui hoc capite desideratur, adiunguntur. Campi autem illi, ni fallor, partes sunt agri pago adscripti, quae ipsae plures fundos complectuntur; simili certe modo vocem *campi* interdum usurpatam esse, tabula Herculanensi Alliatoriae Celsillae probatur (Doni II, 66=Reines. VII, 2=Capaccius hist. Neap. II, 9), in qua ita legitur: *patrem. eius. Alliatorium. Celsum. emisse. fundos. cum. aedificiis. in. regione. Muliniensi. qui. vocarentur. CAMPI. MACRI*; in quibus verbis regio quidem, ut in oppido, pro pagis tabulae Baeb. est, fundi autem singuli si commemorarentur, simili ratione, atque in ea tabula, cum campis iungerentur necesse erat; id solum interest, quod plurali numero hi, singulari illi campi afferuntur. Campus igitur propterea pagis adiicitur, ut etiam accuratius definiatur, qua pagi parte fundus situs sit. Ita in tab. Vel. vicus saepe nominatur; cf. 1, 42: *pag. Bagienno, vico Ivanelio*; 1, 67: *pag. Albense vico Seceniae*; 1, 75: *vico Blondelia*, et omissa voce vico, *pag. Albense. Blondeliae. Seceniae* IV, 23, cet.; coloni Lucenses profitentur praedia *Ucciae, Laeveli, Berusetis, Boratiolae* cet. (VI, 64 sq.), quibus nominibus possessores non designari etiam ex eo consequitur, quod alio loco Ucciae vicus commemoratur (VI, 20). Quibus omnibus reputatis, quamquam *turricula Labeonica* quid fuerit, ne coniicere quidem ausim, certos ad eam pertinuisse fundos mihi constat, qui ubi siti fuerint, ea commemorata designantur.

24. Ceius Venator, frater fortasse Vestigatoris, capite sequenti commemoratur (III, 28). Gens Ceia Beneventi (de Vit. III, 15=Gr. 344, 14) et Aeclani nota est (Guarini, continuazione delle osservazz. sulle cose Eclanesi p. 15). Novam eius gentis inscriptionem protulimus, ubi de Rutiliis egimus (§. XVIII).—Gentis Manliae fortasse I, 12 mentio fit; Manlius Apriculus Beneventanus, v. de Vit. IX, 41.—

25. De campo Calediano v. ad 22; Arellium Caledum §. XVIII commemoravimus.

Digitized by Google

tium 98000, *in sestertium* 8000; *et fundi Marciani, aestimati sestertium* 45000, *in sestertium* 4000; *fiunt sestertium* 143000, *in sestertium* 12000—*sestertii* 300.

28—32 *Ceio Venatore, fundi Antoniani cum casa, pago Beneventano, adfine Rutilio Lupo, aestimati sestertium* 40000, *in sestertios* 3160; *item fundi Postumiani, pago Cassiae, campi Deciani, aestimati sestertium* 30000, *in sestertios* 2500; *fiunt sestertium* 70000, *in sestertios* 5660—*sestertii* 141 ½.

33—34 *Octavio Lybico, fundi Petilliani cum casis et parietinis, pago Herculani, aestimati sestertium* 100000, *in sestertium* 9000—*sestertii* 225.

35—36 *Antio Gamo, fundi Terentiani Paterni, adfine Rutilio Lupo, aestimati sestertium* 100000, *in sestertium* 10000—*sestertii* 250.

37—38 *Vergilio Proculo, fundi Albiani, pago Albano, adfine Sulpicio Flacco, aestimati sestertium* 20000, *in sestertios* 1000—*sestertii* 25.

28. Antonii Beneventani de Vit. I, 30; IX, 154.

30. Gens Postumia Beneventi apud eundem IX, 58, Terralogiae, quae hodie dicitur, apud Guar. Tauras, p. 44.

31. Pagus Cassiae unicum in tabula Baeb. exemplum praebet nominis pago per genitivum adiuncti, nisi pagum Herculani (III, 34) non solo scalptoris mendo ortum esse dixeris; satis tamen ea res vicis explicatur, quos modo laudavimus, Blondeliae, Seceniae, Ucciae Veleiatium.—De gente Cassia cf. II, 62.—De campo Deciano cf. ad III, 22.

33. De Octavia gente v. §. XVIII.—Fundus Petillianus in tabula quoque Veleiate exstat; gens Petillia Beneventana apud de Vit. IX, 92.—De *casis et parietinis* cf. ad II, 70.

35. Gentis Antiae in hisce regionibus nullum vestigium. Terentii in Beneventano apud de Vit. I, 11; II, 3; IX, 116.—Fundi Paterni plures in tab. Vel. III, 26; 79; IV, 22; 47; VI, 12. Cum nomina omnibus fundis addita sint, hoc quoque pro nomine proprio accipiendum neque ita explicandum, ut a patre Antii acquisitum fundum illum dicas. Praebet exemplum fundi non de possessoris nomine appellati; cf. III, 13.

37. Fundum Vergilianum cf. III, 75. Aeclani quoque eam gentem floruisse titulo comprobatur liberti cuiusdam M. Vergilii. C. L. GALLI. AVG· QVINQ (Guar. Eclano p. 91).—De fundo Albiano cf. ad II, 30.

Digitized by Google

39–40 *Turselio Pudente, fundi Caerelliani, pago Meflano, adfine Rubrio, aestimati sestertium* 50000, *in sestertium* 3000–*sestertii* 75.

41–42 *Staeonio Secundo, fundi Cispilliani, pago [supra scripto], adfine Rubrio Primo, aestimati sestertium* 50000, *in sestertium* 4000–*sestertii* 100.

43–44 *Betuleno Prisco, fundi Seneciani, pago Martiale, adfine Rutilio Lupo, aestimati sestertium* 30000, *in sestertios* 2500–*sestertii* 72 $\frac{1}{2}$.

45–46 *Statoriis Prisca et Pudente, fundi Luciliani, pago Martiale, adfine Sespio Feroce, aestimati sestertium* 40000, *in sestertium* 2000–*sestertii* 50.

47–48 *Bibbio Fabro, fundi Valeriani, pago Martiale, adfine Valerio Primo, aestimati sestertium* 20000, *in sestertios* 1000–*sestertii* 25.

49–50 *Livinio Proculo, fundi Peticiani, pago Lybi-*

38. Titulum, qui ad gentem Sulpiciam pertinet, Beneventi Brunnius exscripsit.

C . SVLPICIVS . C . L
LVCIFER . AVG . SIBI . ET
SVLPICIAE . C . L . THALLVSAE
VXORI . SANCTISSIMAE
H . M . H . N . S

39. Turseliorum sive Turselliorum plures Beneventi (de Vit. IX, 39; 70; 163) et apud Ligures, si quidem Guarinius recte sedes eorum constituit (Tauras. n. 22=de Vit. 1, 18).—De Caerellia cf. II, 53; de Rubria II, 8.

41. Nec Staeonii vel Stafonii nec Cispillii nota sunt nomina.

43. Betulena eadem gens quae Vetulena, toties in lapidibus commemorata; Seneciorum his quidem regionibus nullum vestigium.

45. Statorius Restitutus II, 69. Ceterum de duabus mulieribus hic agi videtur, cum nomen *Priscae* primo loco positum sit; cognomen autem sive Prudentis sive Pudentis mirum sane in femina.

46. Nec Sespii nec Serrii nomen notum est.

47. De Bibbiis sive Vibbiis cf. §. XVIII.

49. Livinius nomen rarissimum, cuius unicum, quod mihi quidem innotuit, exemplum apud Murat. exstat: praef. ad t. IV, n. 26; sed notissima Livineia gens; fortasse diphthongus *ei* in *i* contrahitur, ut pro *Cocceio Coccius* scribitur (Bull. 1841, p. 232.)—Villius Flaccus est III, 13.

Digitized by Google

cano, adfine Villio Modesto, aestimati sestertium 20000, *in sestertios* 1000—*sestertii* 25.

51—52 *Sosio Secundo, fundi Curtiani, pago supra scripto, adfine supra scripto, aestimati sestertium* 55000, *in sestertium* 5000—*sestertii* 125.

53—55 *Vibbio Modesto, fundi Familiani aqua ... rat. (?), pago Libitino, adfine Caelio Maximo, aestimati sestertium* 122000, *in sestertium* 10000—*sestertii* 250.

56—58 *Helvio Modesto, fundi Geminiani Telani, adfine Caelio Maximo, aestimati sestertium* 42000, *in sestertios* 3500—*sestertii* 87 ½.

59—61 *Licinio Liberale, fundi Variani cum casa Foederna, adfine Neratio Marcello, aestimati sestertium* 27000, *in sestertium* 2000—*sestertii* 50.

62—64 *Antistiis Festo et Prisco, fundi Lucceiani Galeiani, pago Martiale, adfine Umbrio Primo, aestimati sestertium* 30000, *in sestertium* 2000—*sestertii* 50.

65—59 *M. Septicio Crescente, fundi Vettiani minoris*

51. Sosiorum nulla his regionibus mentio.—Curtios v. apud de Vit. IX, 92; Guar. Tauras. p. 30, X.

54. De Caeliis cf. III, 13.

56. Helvios Hilarum, Paetum, Primillum v. apud de Vitam (VIII, 7=Gr. 638, 1; IX, 29).—Geminiorum, qui saepe in inscriptionibus commemorantur, in his regionibus nulla monumenta exstant.—Pro TELANI scribere velim TEIANI; Teiorum enim gens, non autem Teiorum nota est.

59. Licinii apud Beneventanos de Vit. 1, 5; IX, 203; 206; apud Aeclanenses Guar. Ecl. 149.

60. De *casa Foederna*, nisi pro nomine proprio adiectivum acceperis, non habeo quid proferam; nimis enim facile est verbis ludere deque vocis derivatione hariolari.

62. Antistiae gentis C. Antistius Isochrysus Architect. apud Guar. Ecl. p. 158; Lucceiae C. Lucceius Maximus de Vit. IX, 58=Gr. 986, 12.

63. Galeiorum nomen ignotum. Colliorum, si forte ita legendum est, exempla aliquot apud Murat. 1531, 7; 1614, 17.

65. Septicius Rufus III, 73; Beneventi de Vit. IX, 144.—Vettii, quorum nomen clarum posteriore imperii aevo, in Beneventanis quoque titulis sunt (de Vit. IX, 63; 101); Trebius Ampliatus inter possessores qui obligant, cf. III, 75. Trebius quidam Nepos II vir. iur. dic., patronus, ut videtur, Aeclanensium, apud Guar. Ecl. 103; cf. 159.

in Beneventano, pago Meflano, adfine Trebio Ampliato, aestimati sestertium 50000, *in sestertium* 4000 ; *item fundi Domitiani, pago Horticulano, adfine Octavio Proculo, aestimati sestertium* 50000, *in sestertium* 2000; *fiunt sestertium* 100000, *in sestertium* 6000—*sestertii* 150.

70—71 *Nonio Restituto, fundi Noniani in Beneventano, adfine Octavia Venusta, aestimati sestertium* 50000, *in sestertium* 3000—*sestertii* 75.

72—74 *Cosinio Cosmo, fundi Feroniani in Beneventano, pago Meflano, adfine Septicio Rufo, aestimati sestertium* 50000, *in sestertios* 3560—*sestertii* 89.

75—76 *Trebio Ampliato, fundi Vergiliani in Beneventano, pago supra scripto, aestimati sestertium* 50000, *in sestertium* 3000—*sestertii* 75.

77—78 *Stenio Felice, fundorum S(t)eniani Valentiani et Octaviani, aestimatorum sestertium* 200000, *in sestertium* 16000—*sestertii* 400.

79—81 *Baeto Saturnino, fundi Vediani in Beneventano, pago Cetano, adfine Folio Oriente, aestimati sestertium* 60000, *fiunt (in) sestertium* 3000—*sestertii* 75.

82—83 *Afinio Cogitato, fundi in Beneventano, pago Catillino, finibus, aestimati sestertium* 60000, *in sestertium* 4000 —*sestertii* 100.

68. Domitiae gentis solam Domitiam Cyparidem Beneventi reperio, de Vit. IX, 196.

70. De Noniis cf. §. XVIII.

72. Gens Cosinia inter nobiles Beneventanas; Cosinia saltem Celsina consacerdos erat L. Sontii Pancii Iustini equ. Romani duumviri Beneventanorum, de Vit. I, 10; alii eius gentis apud eundem I, 19; IX,3; 36.—Rara Feroniorum gens in his regionibus non commemoratur.

73. De Septiciis cf. III, 65.

77. Et Stenii et Senii apud Gruterum legnntur; Stenii Hannibalis aetate inter Capuanos nobiles (Liv. XXIII, 8).

79. Nec Baeti nec Balii nomen apud Romanos exstat.

80. Foliorum gens rara. Folius tamen Corinthus apud Gruterum est (241), Foliae Acnta et Iannaria in inscriptione inedita Musei Campanae Coelimontani.

82. Inter decuriones Beneventanos est N. Afinius Hierax, de Vit. III, 17; alios Afinios v. IX, 72; 200.

APPENDIX,

IN QVA, QVAE IN GVARINII ET GARRVCCII APOGRAPHIS DIVERSE LEGVNTVR, PROPONVNTVR.

Col. I.

1. Guar. VCANO. Garr. ICANO—Guar. CCCCLXXV—2. Guar. CXXXII.—5. id. omisit usuras.—6. id. ADECANO.—7. id. HS VII—8. id. omisit usuras.—9. id. LIANI.—10. id. E.—11. id. AF TRV; Garr. AETRV; Br. litteram D errore fortasse omissam vocali A affixam esse credidit.—Guar. CCXXII.—12. Garr. CA.—13. Guar. DENTO.—14. id. MILIA.—16. Garr. ANIANI,—Guar. CXXXVII.—17. id. HS L INI.—19. id. omisit usuras.—OQEIN in omnibus quidem exemplaribus legitur; nihilo tamen minus IQEIN scribendum esse credo, cum solis fundis ea ratione pertica adiungi possit; cf. §. XIV.—20. Guar. TE; Garr. TELF.—22. Guar. SAENONES.—23. Garr. OREANVM.—24. Guar. ANONAE.—26. id. LAAEST.—27. Garr. LXXVIII.—28. id. TRONIANVS.—29. Garr. NVMERIA, recte fortasse; cum vero et Brunnius et Guarinius unam tantum litteram post NVME exhibeant (Guar. enim NVMET recepit), valde metuo, ne sestertiorum notam ilie pro syllaba RIA habuerit, alteram deinde horum notam, qua semper est supplendi facilitate, usuris adiunxerit.—Guar. Garr. CXL.—30. Guar. CAERINIA. Garr. CAERENIA. Notam, quam pro N venditarunt, Brunnius duabus tantum lineolis indicavit; fundus *Caerellianus* (III, 39), quid legendum sit, docet.—31. Guar. \ENEVM.—32. id. ADRINE.—34. id. LXXXXVI.—36. Guar. Garr. TQEIN; vix dubium, quid legendum sit, cum fundum praecessisse necesse sit.—Guar. CIX; Garr. CX; Brunnius incertum relinquit, quid recipiendum sit. Aestimati autem fundi sunt alter HS XXXVI, alter LXVI; fiunt HS CII. Usurae contra, si Guarinii lectionem adoptaris, HS IVCCCLX, si Garruccii, IVCCCC acceptam pecuniam fuisse testantur, parva sane summula, si fundorum pretium respicimus. Hinc CLX, quod Brunnio maxime placuit, re vera legendum esse censeo, quarum usurarum sors VDC sestertium est.—40. Guar. Garr. LXVI.—42. Guar. omisit usuras; Garr. CC, quod si verum esset, summa accepta erat HS VIII, quae fundorum aestimationi HS XLIIIICC parum convenit.—44. Guar. CACIGVXVS.—45. Garr. XLIIICC.—46. Garr.—S VIII; coniectura viri cl. parum felix, quippe qui usurarum suarum ratione ducta acceptam pecuniam adiecerit, ne hoc quidem intelligens, in fine versus summam acceptam stare non posse, cum versus antecedentis fine aestimatio collocata sit. Est igitur sors accepta HS IV, minime autem in tabulae fragmentis legitur.—48. Guar. ENIONEOP.—50. id. CCCLXXX.—51. Guar. XV N. NII; Garr. XXV N FILO.—55. Guar. IMII; Garr. VIANI.—57. Guar. IMIANO.—59. Guar. Br. V IN; rectius Garr., cum V aestimationis summam indicet, in ad pecuniam

Digitized by Google

acceptam pertineat. Si Brunnium sequi malueris, *Ingenuus* sive alius quis nomine simili appellatus *numerat*.—63. Guar. MINO.—64. id. NO HS.—66. id. CXXXVIIIS.—68. id. NI HS IX; Garr. IN HS LX. Facile intelliges sortem sexaginta millium minime quadrare ad usuram adnotatam, optime, si aestimatio illa est.—80. Garr. LNIO.

Col. II.

1. Guar. REM.—2. id. ERISCIA.—ET POR.—3. id. CXXXV.—4. id. RVFI pro RVTILI LVPI.—5. Br. CRESPIA.—Garr. HS LXXXVIII, ratione ducta sortis acceptae, neque tamen intellexit vir ingeniosissimus scribendum esse LXXXIIX; tabulae enim ruptura ultima nota X interiit. Licet autem in titulo Baebiano numerus octo plerumque nota VIII indicetur, altera tamen quoque eius figura exstat; cf. II, 43; III, 25, eodemque modo notae IX et VIIII pro novem promiscue usurpantur.—13. Garr. XXXXV.—14. id. FVNDI ACCIANI.—15. Garr. SATVRNINO, quod re vera scalptori scribendum erat.—18. Garr. CXXX.—21. Br. SVILLIO.—22. et 23. omisit Garr.—24. id. XXXXV—FALETANI, quod nomen non est.—26. id. OBLIG VIIII, addita supra numeri notam lineola, ut suam, ni fallor, de novem millibus opinionem confirmaret. Quae lineola ne scalpri quidem mendo ullo tabulae capite reperitur, ut satis demonstrat Brunnii exemplar.—De errore, qui aestimationum summae inest, cf. §. XIV.—30. Garr. ET voces inter *Albiani* et *Amarantiani*.—31. id. MINIANI pro Anniani; licet etiam *Minius* nomen sit.—34. id. PTITIO et VELAEANI.—37. id. MEGIA, quod nomen non est; FVND.—39. id. COCTAVIO; adfines omisso praenomine addi solent, unde Brunnium secutus sum.—42. id. CXXXXVIIII.—43. id. FINIBVS.—44. id. L METELLO. Metellus cognomen Romanum esse solet, quamquam raro pro nomine quoque est (Grut. 438, 5; 539, 6); rectius igitur Br. *Metelius*, fortasse pro *Metilius*. Usurarum summam non XXXXIIX, sed XXXXII esse facile constat; scalptoris mendum est.— 51. Guar. ADFINE.— 52. id. *Ne*RATIO.—53. id. IVLIAE.—CERILLIANI.—54. Guar. CRISPINILLI; Garr. CRISPINI LL.—56. Guar. Garr. FVRTIL.—57. HS III pro LII.—60. Guar. CASAE POPILLIANI CNE; MEFLANO.—62. Garr. TRIBONIO.—63. Pro MEFANO omnes MEFANI; scalptoris videlicet mendum.—65. Garr. PRIMIGENIANI; cf. §. XIV.—Guar. HS CCXXXI.—66. Guar. ALBIANI. Garr. SVFELL.—67. id. EMIT.—69. Garr. LXXV, exemplum luculentissimum rationis, qua ille in tabula describenda usus sit. Qui cum v. 71 falso ∾∾ COMICVS legisset, ne hoc quidem intellexit nominativum nisi adiuncta nota N, nunquam in capitis fine exstare posse; immo, usurarum ratione ducta, harum numerum non correxit, sed corrupit, quamquam recte iam apud Guar. legebatur.—77. Guar. HS ∾∾ CCC XXXXII EM.—

Digitized by Google

Col. III.

1. Garr. VISLIANI.—2. id. PAG.—4. id. ERONIO.—9. id. omisit praenomen.—11. Br. MARCIANE, quod fortasse scalptoris mendo in tabula exstat.—13. Garr. MOELIO FLACCO.—14. id. XXXI pro XXV; OBLIG $\overline{VIIII}$.—15. Scalptoris errore omissum est ADF.—16. Garr. VI pro $\overline{VI}$.—17. id. HENVLEIANI.—18. id. $\overline{XXVI}$; OBLIGATIONE $\overline{VIIII}$.—19. id. MARCIO RVNNO.—20. id. $\overline{XXXV}$ pro $\overline{XXXX}$.-21. id. CVM FVND, particnla *cum*, ni fallor, repetita ex ultima vocabuli antecedentis syllaba.—22. id. MEDIANI.—24. Br. VESTICIATORE.—Garr. MAMIANI; FAECIANO.—27. Pro $\overline{CXXXIII}$,CXXXXIII legendum est, quamquam ambo apographa illud exhibent, scalptoris mendo ortum.—31. Garr. FAECIAE pro CASSIAE.—33. id. PETRILIANI.—34. id. HERCVLANEO, fortasse nihil nisi emendatio ex II, 23 et 56, cum Br. non facile litteras EO, si in tabula sunt, omittere potuerit.—35. Garr. MANTIO.—ET TERTIANI.—36. id. HS $\overline{LI}$ pro $\overline{C}$.—37. id. NERONIO PROCVLO.—PAGO ALBANO.—38. id. $\overline{XC}$ pro $\overline{XX}$.—41. id. STAFONIO.—42. id. RVBRIO PRIMO, recte credo; Br. PALMO legisse sibi visns est.—43. Garr. SENEOLANI. Br. LXII.—45. Br. STATORIS PRISCAE (ET?) PRVDENTE.—46. Garr. SERRIO pro SESPIO.—47. id. BEBBIO FEROCE.—48. id. MARIO pro VALERIO.—49. Br. LIVIANO; Garr. LIVINIO; metno ne illud non sit nomen Romanum, sed cognomen.—52. Garr. ∽∽∽∽∽.—53. id. FAMILIARI F AQ AE RATA; addidit quidem delineatam horum verborum imaginem, sed ne huic qnidem scio nnm prorsus confidere liceat. Praeterea littera F ita figurata est, ut malim cnm Burghesio eam accipere pro correctione scalptoris, qui errore notam I repetierit, hanc deinde, quantum potnit, litterae S similem reddiderit; nimis enim barbara vox *familiarius* a Garr. admissa, quam ut Traiani aetate ita scriptnm esse ex incerti huins versus anctoritate concedi possit.—54. Garr. LIBITANO.—55. id. $\overline{CXLIII}$.—56. id. ET PRIMI pro TELANI.—58. Garr. omisit.—59. Br. VALEIANI; rectins fortasse Garr. VARIANI.—62. Garr. ANTISTIS IVSTO ET FESTO. Brunnii exemplar litteras nonnullas minus bene expressas esse ostendit; legitur ab eo: ANTISTI C (vel O; est autem S) AESTO. Equidem scribendnm esse credo FESTO, quod, quae sunt litterarnm in tabula Baeb. formae, A (λ) et F commntari fortasse poterant.—63. Garr. COLLIANI pro GALEIANI.—65. id METELLO CRESCENTE.—66. id. TRELLIO AMILINO.—68. id. PAG AEQVICVLANO.—71. Br. falso IN HS $\overline{II}$.—72. Garr. COSENIO.—73. id. SETICIO.— Usurarum numerum Br. mutilnm dedit; recte Garr. nescio num ex tabula, an ratione pecuniae acceptae ducta.—75. 76. omisit plane Garr.—77. Garr. VNINTIANI pro Valentiani.—78. Br. XXII pro XVI.—Pro SENIANI fortasse STENIANI legendum.—79. Garr. BALIO.—80. id. FOFIO.—82. id. BENEVENTANO.

=

VA1
1543848

Digitized by Google

IMPRIMATVR

Fr. D. Buttaoni Ord. Praed.
S. P. A. Magister



IMPRIMATVR

I. Canali Patriarcha Constantinop.
Vicesg.

Digitized by Google



$\overline{XII}$ IN HS $\overline{X}$	
MODESTO FVND GEMINIANI TELANI	HS LXXXVIIS
AELIO MAXIMO AEST HS $\overline{XLII}$ IN HS	
LIBERALE FVND VARIANI CVM CASA	HS L
RNA ADF NERATIO MARCELLO AEST	
$\overline{VII}$ IN HS $\overline{II}$	
S FESTO ET PRISCO FVND LVCCEIANI	HS L
ANI PAG MARTIALE ADF VMBRIO PRIMO	
HS $\overline{XXX}$ IN HS $\overline{II}$	
IO CRESCENTE FVND VETTIANI MINOR	HS CL
EVENT PAG MEFLANO ADF TREBIO AMPLI	
EST HS $\overline{L}$ IN HS ∿∿∿ ITEM FVND	
IANI PAG HORTICVLANO ADF OCTAVIO	
LO AEST HS $\overline{L}$ IN HS ∿∿ F HS $\overline{C}$ IN HS $\overline{VI}$	
ESTITVTO FVND NONIANI IN BENEVENT	HS LXXV
CTAVIA VENVSTA AEST HS $\overline{L}$ IN HS $\overline{III}$	
COSMO FVND FERONIANI IN BENEVENT	HS LXXXIX
EFLANO ADF SEPTICIO RVFO AEST HS $\overline{L}$	
∿∿∿ D·LX	
AMPLIATO FVND VERGILIANI IN BENEV	HS LXXV
AEST HS $\overline{L}$ IN HS $\overline{III}$	
FELICE FVND SENIANI VALENTIANI ET	HS CCCC
ANI AEST HS $\overline{CC}$ IN HS $\overline{XVI}$	
ATVRNINO FVND VEDIANO IN BENEVENT	HS LXXV
ETANO ADF FOLIO ORIENTE AEST HS $\overline{LX}$	
∿∿	
OGITATO FVND IN BENEVENT PAGO	HS C
INO FINIBVS AEST HS $\overline{LX}$ IN HS ∿∿∿	



Digitized by Google